


AB

W5212

Tom. 26.
27.
28.

113 Silber

L1100H.



113,
L.O. ~~29~~, 4.

MERCURII GALLO-BELGICI
M. GOTHARDO ARTHUSIO Suc-
CENTURIATI,

Sive

RERVM IN
GALLIA ET BELGIO PO-
TISSIMUM, HISPANIA QUOQUE,

ITALIA, ANGLIA, GERMANIA, UNGARIA,

Silesia, vicinisq; locis, à nundinis Francofurtensibus au-
tumnalibus anni 1650. usq ad nundinas vernaes
anni 1651. potissimum gestarum,

HISTORICÆ NARRATIONIS

continuatæ,

TOMI VIGESIMI OCTAVI

LIBER SECVNDVS.

Auctore

JOANNE GEORGIO SCHLEDERO, Ratisponensi.


Cum S. Cæs. Majest. Privilegio Speciali.



FRANCOFURTI,

Sumptibus & typis Hæredum Sigismundi Latomi, Anno 1651.

5





MERCVRII GALLO-
BELGICI M. GOTHAR-
DO ARTHUSIO SUC-
CENTURIATI,

TOMI XXVIII. LIBER II.

EORVM, QVÆ à NVNDI-

nis Francofurtensibus autumnalibus anni

1650. usque ad vernaes 1651. memo-

ratu digna passim acciderunt,

narrationem continens.



Uòd, confecto per sum- Anno
mam quietem sumptuoso 1650.
illo, solenni & Cæsareo cõ- *Tractatus*
vivio, in honorem conse- *Execu-*
cutæ pacis instituto, (cuius *tionis Pa-*
prolixam descriptionem Mercurius noster *cis apud*
libri antecedentis primi aliquot pagellis *Noriber-*
insinuavit:) Celsissimus denique Princeps *genses suc-*
Palatinus, Carolus Gustavus, militiae Sue- *cessivè ex-*
co- Regiæ summus Moderator, præter re- *spirant.*
liquum numerosum illumque exquisitum
comitatum, comite quoque ulus Excel-
A 2 lentissi-

Anno
1650.

lentissimo Domino Wrangelio, commilitii eiusdem Campi-Marescallo, medio circiter Julio Noriberga discessum instituerit, atque hoc ipso diuturni illi & laboriosissimi tractatus Executionis pacis paulatim exspirare cœperint, id quidem gratiosum Dominum Lectorem, historiæ nostræ non ignarum, minus latere arbitror.

Dux Amalphæus alias Piccolominius, Noriberga discedit.

Hoc igitur initio discedendi facto porrò evenit, cum Illustrissimus Dux Amalphæus, in militia Imperatoria nuper summus Locumtenens, unum adhuc & alterum ad optatum finem ibi perduxisset; pridie discessus diei ante urbem, in horto Baronis Rokonitii, ut inde relatum accepimus, persumptuosas epulas valedictorias apparari fecisset; ac demùm, nomine inclyti Magistratus Noribergensis, loco muneris eleganti scypho, unâ cum cantharo & malluvio, (Domino Legato Volmaro, ornatissimam quandam thecam pennariam seu tablinum; Tribuno Ranfthio exquisitum horologium, & Secretario Satlero, calicem inauratum, in munera accipientibus;) donatus esset, quòd & ipse demùm sequenti diluculo, qui erat 28. Sextilis vet. styl. iter ingressus sit, cum antedicti Ducis Excellentia Tractatibus hisce in sextum decimum mensem præsens adstitisset.

Antes

Inter discedendum Excellentia^e suæ ut Anno
Comites adfuerunt quidam ex ordine Se-1650.
natorio, Barones & alii è patricio sangui-
ne. His accedebant mercatores pingui-
oris fortunæ, Reipublicæ Noribergensis
satellites, equo merentes, in uniuersum
150. equitum commilitio valentes. His
adsociati comitum digniores, Comes
Sultzbacensis; Regis Galliarum Christia-
nissimi Legatus, Dominus Avancurtius, &
quicunq; Procerum Imperii residui Nun-
tii, curribus seiugibus vecti: quorum o-
mnium ordinem clausit, turma quædam
Saxonicorum equitum, optimè instructo-
rum, qui eò venerant, vigilum Præfectum
Generalem, Dn. Transdorfium præsidio
domum deductum.

Relicta civitate, ut aliquò usque pro-
cessum est, vale ultimum alter alteri dixit.
Dux Amalphæus, dum à porta B. Virginis
Βεοτόικη, ad illam Divi Petri progreditur,
ex sesquicentum ordine dispositorum bom-
bardigerorum solutis bombardis, per val-
la autem tormentorum solenni eaque ter-
naria displensione postremum consaluta-
tur. Pernoctavit verò Illustrissimus Pic-
colominius eo vespere, cum adiuncto fa-
mulitio, in oppido Feucht, quod duobus

A 3 millia-

Anno
1650.

milliaribus à Noriberga distat, amplissimus eius civitatis Senatu sumtus suppeditante.

*Ratisbonā
appellit.*

Ad diem Ven. 30. Aug. vet. st. post meridiem Dux Ratisbonam venit, ubi inter civium armis indutorum tres cohortes, quarum una in insula superiore, reliquæ ab utroque pontis latere usque ad diversorium, cornu veredarium insignium loco ostendens, (ubi Dn. Legatus hospitium sumsit:) excubere, suaque sclopeta bis displosere, tum etiam inter festivas machinarum aliquot fulminalium effulgurationes in urbem introductus est, quem incliti civitatis illius senatus Deputati, piscibus, vino & avena, pro more donarunt; viribus autem cibo potuque aliquantum reffectis, ea adhuc vespera cum omni comitatu in augustam quandam navem ingressus, unâ cum cæteris vilioribus navigiis, quæ impedimentis ac minorum gentium domesticis vehendis destinata erant, pro no Danubio iter continuavit, simulque viginti disposita tormenta bellica, tertio jam exonerata, resonuere.

*Viennam
consequi-
tur, &*

Lunæ 9. 19. Septembr. Generosissimus Piccolominius Viennam consequitur: siquidem autem Cæsarea sua Maiestas hebdomade

domade antecedente Ebersdorfium exie- Anno
rat, eò quoque digredi, Ducis erat: quem 1650.
cùm Cæsar benignè audiisset, ad Viennen- Cæsaris
ses nulla mora reversus fuit. auribus

Viennam reversum Austriæ inferioris *fruitur.*
Ordines Ducem, ob rem in restituenda
Germaniæ pace feliciter gestam, dicta in *Liberali-*
urbe Vienna magnifica quadam domo, a- *ter dona-*
liquot millibus Imperialium indicata, & *tur.*
muneribus aliis liberrimè donarunt: à Sti-
riæ autem provinciæ Primatibus doni no-
mine decem aureorum Hungaricorum
millia accepisse traditur. Maius quid-
piam sacratissimus idemque gratissimus
Ferdinandus Imperator attribuit, dùm
eundem, adsentientibus Sacri Imperii
Romani Electoribus, Principibus ac Stati-
bus, (collato simul ipsi, loco Cæsareæ gra-
tiæ, Ducatu Münsterbergensi & Francken-
steniano:) in Principum Imperii numerū
adscivit; quo fine Dux Amalphæus, jam
revera Membrum Imperii factus, ad diem
Solis 4. Decembris, exquisitas epulas in-
stitui fecit, quib. quivis apud aulam Vien-
nensem præsentis Principes, Comites, Dy-
nastæ ac maiorum gentium Duces bellici
interfuerunt.

Interea autem in ditionibus hæredita- *Relatio*
riis, in reducenda reformandaque Cæsaris *quedam*
A 4 *militis*

Anno 8

Mercurii Gallobelgici

1650. militia acriter laboratum, quid verò actum digniora in hoc negotio sit, necdum quidem apud apud An- nos constat.
lanæ Cæsaris.

Ad diem Solis 24.14. Quintilis, triumphus ille, ob feliciter reductam pacem institutus, ut quidem pagina 41. antecedentis libelli primi innuit, multis cum solennitatibus exiit. Tùm quoque Sac. Cæs. Majestas Dominū Comitem Leslæum, qui in præsens usque tempus prætorianis satellitibus Capitaneus præfuerat, Stiria, Croatiae atque Sclavoniae confinibus, in vicem defuncti Dn. Comitis Khevenhülleri, (cuius è vivis excessum, pagina 130. anteced. libri primi refert:) & qui illi in pari officio successerat, concilii bellici Austriaci Præsidis, Dn. Geilleri, ex corporis ergastulo itidem soluti, summum Governatorem constituit, simulque titulo Campi - Marecalli donavit: huius autem in locum Dn. Comitem Ferdinandum Fridericum à Fürstenberg, in militia Cæsarea quondam vigillum Præfectum Generalem, suffecit.

Legatio Tartarica Tunc in aula Imperatoris diversorum Principum & Magnatum Legatos videre per exigua erat: quippe mense Augusto comparuerunt Tartarici, quib. cùm Cæsarea sua Majestas 7.17. huius aures dedisset, equo quodam Turcico, arcu & aliis eam donasse perhiben-

hibentur, multa differentes de bona vicini-
 nia, Principis etiam sui, eiusque fratris ac
 Sultanae favore. Quid verò petitum ve-
 nerint, aut quænam eorum expeditio fue-
 rit, de hoc certe nihil in medium proferre
 Mercurius potest. Literis autem Vienna
 ad nos perlatis, certiores facti sumus, eo cir-
 citer tempore (postquam aula exacto lu-
 & ad se rediit :) de ineundo novo matri-
 monii contractu consilia habita; inprimis
 autem Gallicum quendam Legatum clan-
 culum advenisse, qui cum Ducis Aureliæ
 filia tres milliones, ac simul Brisaci Lo-
 tharingiæque restitutionem obtulerit; Im-
 peratricem tamem viduam Eleonoram, &
 Patres Lojolitas Mantuæ Ducissam cum
 ingenti dote proposuisse, nec dubium es-
 se, quin postrema hæc potum acceptura
 sit, & prærogativam habitura.

Mense eodem Viennæ se sistebant Land-
 gravia Castellanae Nuntii, certa quædã feu-
 da à Cæsare impetraturi, quæ etiam intra
 exigui temporis decursum obtinuerunt.

Die Veneris 2. Septembr. 23. Aug. apud
 aulam Cæs. porrò adpulit Principis Tran-
 sylvaniæ Legatus, qui Cæsarem Ragozkii
 nomine duobus generosis equis donavit,
 quorum alter ephippio argenteo inaura-
 toque, & gemmis undique distincto, ac
 phaleris

*Legatus
 Ragozkii
 Transsyl-
 vania
 Principis*

Anno
1650.

phaleris non temnendi pretii exornatus erat. Habebat verò in commissis, auxilia & protectionem contra Turcas petere; quem cum Cæsarea sua Maiestas 5. 15. Septem. apud aulam denuò exquisitis epulis adhiberi mandasset, ea adhuc die Ebersdorfium profecta est, venatione cervorum aliquo tempore sese oblectatura.

*Certamen
ex bombardis
Vienna.*

Ad diem Solis 15. 25. Septembris Hungariæ Rex Ferdinandus IV. certamen quoddam ex bombardis sclopetisve institui fecerat; in quo cum victor esset Cæsareæ Maiestatis summus stabuli Magister, Comes de V Valdstein, brabeum primum, quod erat numisma aureum, ducentos circiter aureos Hungaricos valore exæquans, reportavit.

*Vellera
aurea tria
ex Hispania,
apportata.*

Ineunte Octobri, ex Hispania vellera aurea tria Vienna apportata sunt, quorū primo eoque nobiliori, (propterea quòd illud laudatissimus Imperator Carolus Quintus ex collo suspensum gessisse dicitur) Hungariæ Rex; altero Dn. Comes ab Auersberg, Cæsareæ Maiestatis summus aulæ Magister; & tertio denique Dn. Comes Palfy, Hungariæ Regulus Palatinusve, donandus erat: Hinc etiam dicta Hungariæ Maiestas suum 9. Octobris, sequente autem

autem die Lunæ utrique Comites consue- Anno
tis solennibus oblata acceperunt. 1650.

Undecima eiusdem, V Vürtembergiæ Ducis
quoque Ducis Legati, feuda quædam ab Würten-
Imperatore de novo petitum, Viennam bergici
adierunt, insigni comitatu stipati. Hi bre- Legatio,
vi post adventum suum Cæsari, eiusq; Mi-
nistris potioribus, sexaginta circiter tinas
vino Suevico seu Nicrano oppletas obtu-
lerunt, votis tandem suis beati.

Dein & Schveinizium, militum Tribu-
num, Vienna excepit, qui Cæsaream suam
Maiestatem, & Hungariæ Regem, plures-
que aulæ Imperatoriæ Magnates ad nu-
ptias filiorum Ducis & Septemviri Saxoni-
ci, Dn. Dn. Christiani & Mauricii, (de qui-
bus infra fusiùs dicemus :) Dresdam invi-
tavit: quo eodem tempore universorum
Electorum judicia sive decreta de futuris
Imperii Comitibus in aula Cæsaris colligen-
da expectabantur.

Baro

Tum etiam Constantinopolitanum *Schmidia*
Regimen Cæsari, Regique Hungariæ, *us, Cæsa-*
ut in antecedentibus dictum est, quoad *ris nomi-*
titulos & alia satisfecit; quapropter die *ne Lega-*
Solis 12. 22. Octobr. Legatus Cæsareus *tionem*
ad Portam Ottomannicam, Baro Schmi *Constan-*
dius, cum omni comitatu, exquisitis vesti- *tinopolita-*
bus ornato, & in quibus Turcorum Primo *suscipis.*
se sistere

Anno
1650.

se sistere iustus erat, præcedentibus sex tubicinibus & æneatore uno, sacratissimo Cæsari, sequentibus autem diebus apud reliquos consilii Imperialis aulici Proceres valedixit.

Ultimo igitur VALE inter omnes dicto, antedictus Legatus die tandem Solis 20. 30. Octobr. cum muneribus Cæsaris, quorum pretiositatem in superiori libro primo, paginis 38. & 36. perscripsi, tredecim navibus, & 160. personarum famulatio Vienna solvit, prono Danubio Constantinopolim aditurus; cuius expeditionis successum in subsequentibus adnotare Mercurius nullus præteribit.

*Christia-
nus Ran-
zovius,
Dania
Regis Le-
gatus.*

Ad diem Mercurii 2. Novembr. nov. st. Sole jam ad occasum vergente, Legatus Danicus, Hollatiæ Regulus, Dn. Christianus Ranzovius, in urbem Viennam pomposè intravit. Hic cum aliquoties apud Cæsarem auditus esset, Ferdinandi Maiestatem nomine Domini-Principalis sui 7. alii dicunt 8. equis coloris subnigri, & qui stragulis sericis regii coloris ornatissimè contectierant, donavit. Stragula verò hæc ad pedes usq; equorum dependerant, phrygio opere exquisitè elaborata, cum limbis maioribus auro atque argento intertextis, quæ undique illa circumdabant.

bant. Ab utroque stragulorum latere vide- Anno
re erat insignia aquilarum, quibus insertæ 1650.
literæ F. R. D. nomen Friderici Regis Da-
niæ adnotantes. Visus in tanto ornatu e-
quis, qui in area arci obiecta stabant, nu-
dos quoque ostendi volebat Cæsar, quo
facto, per jucundum videre erat, quomo-
do jubas caudasque vinculis sericis coloris
Regio-Danici viridis exornatas habe-
bant, ferocia in tantum pleni, ut ei com-
pescendæ hippocomorum vires vix suffi-
ceret, unde Cæsaream suam Majesta-
tem à risu se continere non potuisse, fama
loquitur.

Auditus verò à Cæsare Ranzovius, mox
quoque ad Eleonoræ Imperatricis viduæ
aures admissus est, quò illum omne auli-
cum famulitium centum circiter pilentis
Cæsaris mandato deduxit.

Exiguo tempore ante, volente ita Cæ- *Ian Lu-*
sare, urbis Brunnæ in Moravia Gubernator *dovicus,*
Ludovicus de Susa in officiorum bellico- *Comes de*
rum, quæ quòdam præstitit, compensatio- *Nassau,*
nem, & quod urbem illam adversus ho- *dignitate*
stem anno 1645. fortiter defenderat con- *Principis*
servaratque, in regni Bohemiæ Procerum *Imperii*
catalogum adscriptus est; sub initium au- *donatur;*
tem Novembris, Sac. Cæs. Maiestas Con-
siliarium suum intimum, Camerarium, &
nuper

Anno
1650.

nuper apud tractatus Pacis universalis Monasterii & Osnabrugis Legatum, Dn. Johannem Ludovicum, Comitem de Nassau, Hadamar, &c. ob egregia merita in Principum Imperii ordinem adlocavit.

*Matrimonium
Caesaris
tertium
publicatur.*

Similiter hoc eodem mense matrimonii contractus, inter Cæsarem & Eleonoram, Mantuæ ducem ineundus, apud aulam publicatus perhibetur; ubi fama volabat, Dn. Comitem de Lamberg in mandatis accepisse, proxima legatione futuram Imperatricem ad aulam Viennensem deducere; quamvis alii certò statuebant, actum hunc matrimoniale ante festum paschatis anni futuri vix ad finem perductum iri, de quo infra pluribus videbitur.

Die Mercurii 13. 23. eiusdem, Cæsaris nomine quibusvis aulicis exemptis, mercatoribus, civibus, lanionibus ac aliis, significatum fuit, in horas parati essent, & quilibet quidem eo ornatu, quo fieri possibile fuerit, fore enim, ut Legatus Turcicus proximè in urbem sit introducendus.

*Legationis
Turcicae in
urbem Vien-
nam introitus.*

Affullerat 20. 30. Nov. dies, cum memoratus Legatus Turcicus, centum octoginta aut circiter personarum satellitio stipatus, Viennā appelleret quem Magistratū æquè ac cives tanta pompa & magnificentia intra
mœnia

monia introduxisse fama est, quanta nulli Anno
 alii legatorū turcicorū unquam contigisse 1650.
 constat. Introitus fiebat portam Carinthiā,
 sed per rubrā Turrin traductus, trans pon-
 tem, vulgò *die Schlag-Brücke* dictū, ad a-
 gnelli aurei insignia hospitio fruebatur.
 Turcarum comitatus cum nostrorū nulla
 ferè in re cōparari merebatur; quippe Le-
 gati penè omnes ministri detritis vestibis
 incedere videbantur. Legatus ipse equo
 invehatur coloris spadicei, ac peristro-
 mate auro refulgente instrato: equos cor-
 pori eius vehendo destinatos, quos alias
 manuarios appellant, non nisi quinque ha-
 bebat. Cidaris, quam in capite gerebat,
 candidissimi erat coloris, sexies quàm ca-
 put ipsum major, cum nodo rubro in ex-
 tremitate, qui communis alicuius nostri
 pomi magnitudinem non excessit.

Die Martis 10 20. Decembris, comita- *Munerū*
 tū Cæsare digno ad audientiam Impera- *oblatorū*
 toris deductus est, cui (si saltem literis, *qualitas*
 Vienna 11. 21. huius ad nos perscriptis, fides
 adhibenda est) tanta obtulisse munera re-
 fertur, quanta ab hominum memoria ne-
 mo Imperatorum Romanorum à quo-
 quam Sultanis acceperit unquam: aiunt
 verò inter cætera hæc munera nobilitasse
 illud tentorium, sub quo Sulimanus, Tur-
 carum

Anno
1650.

16 *Mercurii Gallobelgici*

carum Imperator, degit, cùm anno supra
millesimũ quingentesimũ undetrigesimo,
(1529.) urbem Viennam, nullo tunc quo
hodie modo firmam, formidabili ter-cen-
tenorum millium armatorum exercitu in
vigesimalium tertium diem obsedisset, ut
quidẽ doctissimus Lansius in *Consultatione
de Principatu inter Provincias Europe, Edi-
tionis quarta Oratione prima pro Germania,*
pag. m. 133. ferè in fine scriptum reliquit.
Addunt auro & gemmis illud adeò reful-
gere, ut vel propter solam eius formam,
qua est mirificè rotunda, spectatorem in
admirationem rapere possit, & munus esse
verè non alio quam tanto Cæsare nostro
magis dignum. Huic accedere, quam ad-
portarit Legatus, viginti consequentium
annorum tributi remissionem, duos ma-
gnificè instructos equos, totidemque alios
nudos formæ non vulgatæ: cristam pre-
tiosam, ex ardearum erodiorumve avium
pennis compositam, cum aulæis stupendi
operis: item vascula quædam lapide Be-
zoartico & moscho repleta, aliaque ra-
riora & cariora plura: sunt tamen, qui af-
firmare audent, quòd si pretium spectetur,
nullum dubium esse, quin munera illa,
quæ Ferdinandus noster Augustus Tur-
corum Imperatori per antedictum Baro-
nem

nem Schmidium, proximè offerenda cu- Anno
rabit, longo hæc intervallo post se reli- 1650.
ctura fuerint. Verum de Legati hujus ex-
peditione suo infra loco plura adnotabi-
mus.

Dein Veneris 6. 16. Decembr. ubi Cæ- *Helvetio-*
sar venatu domum reversus fuerat, eodem *rum Le-*
sole & Helvetiorum Legati advenerunt, *gati.*
qui concessa aurium facultate, non solum
bonorum merciumve suarum, impulsu
Dominorum Cameralium Spirensium ar-
resto detentarum, restitutionem, quin
damnorum etiam atque expensarum refu-
sionem petiisse asseruntur. Hæc de gestis
apud aulam Cæsaris dicta sufficiant.

Subnectimus pauca quædam de Bohe- *Gesta Bo-*
miæ statu, ut hac ratione filum, *paginis hemica.*
43. & 44. antecedentis Relationis in-
interruptum, decenter connectamus. Post
triumphum de Pace recuperata magnis
solennitatibus confectum, quem adducto
loco prioris libelli contractè exposui, nihil
præterea apud Pragenses quidem ab ali-
quo tempore notatu dignum evenit: men-
se autem Octobri conventus habitus est,
in quo regni statibus Sac. Cæs. Majest. no-
mine sequentes articuli propositi sunt:

I. Religio Romano-Pontificia omnibus &
singulis fideliter inculcator, nec quisquam non

B

Catho-

Anno
1650.

Catholicus in civitate sustinetor, sed ejectis
hæresium seminibus, Parochiæ idoneis mini-
stris ubiq; restaurantor.

II. Quod si futurum sit, militum ex aucto-
rationem institui, Procures regni ejusmodi ex-
auctorationem in se recipiunt, & necessariam
pecuniam procurant.

III. Ad sustentandum militem intra
Bohemia regnum, illosve, qui porro adijci-
endi forent, omnis frumenti constituta men-
sura, nimirum pars media in natura, reliquâ
in parata pecunia, exsolvitur: præsidia verò
Pragæ, Egræ & locorum aliorum, prout anno
præterito factum, ex contributione frumenta-
ria aluntor.

IV. Ad communienda Hungariæ regni
propugnacula, tributa vino & cerevisiæ im-
posita, olim jam consueta, continuantor.

V. Debita seu stipendia militibus restan-
tia in annum adhuc suspenduntor.

VI. Ad delendas omnis generis expensas,
pro singulis cadis, quatuor urnas cerevisiæ vel
triticeæ, vel hordeaceæ, capientibus, florenus
unus, & pro singulis amphoris vini (à qua lege
tamen eximuntor vina Pragensium propria,
seu ex territorij illius vineis collecta, quinqu-
aginta annorum immunitate donata) cruci-
geri viginti numerantor: quo factò, dein ex
ejusmodi acceptis Comiti Tscherinio viginti
flore-

*florenorum millia anticipando exsolvantur; Anno
reliquum verò Casarea Majestatis libera di- 1650.
spositioni relinquitur, ita tamen, ut pro sin-
gulis doliis singuli crucigeri quindecim de-
curtentur, & ex hac summa regio deinde Gu-
bernamento, tabulario, Expeditioni, Medi-
cina & Chirurgia regni commode subveniri
possit.*

*VII. Administrationis Commissariatus
Generalis Expeditio abrogator; hujus verò
muneris onus in antedictum Gubernamen-
tum die Statthalterey devolvitur.*

*IX. Ad delendos grassatores Petrovvs-
ky, consilia comportantur.*

*IX. Pro locorum devastatorum repara-
tione, usq; qui ad pristinas sedes suos redire co-
gitant, tributa in triennium remittuntur.*

*X. Moratorium Generale sub hac condi-
tione, qua quidem annis proximè elapsis fuit,
ad tres annos extenditur.*

*XI. Regni Magnates ac Status media ex-
cogitanto, quorum adminiculo debita Came-
ralia commode dissolvi queant.*

*XII. Iudaei, eo quidem statu ac numero,
quo anno 1618. fuerunt, tolerantur; praeter hos
autem, nulla in civitate, oppido, vico aut pago
admittuntur, nec mansiones ullae ipsis conce-
duntur; imo contra peculiarem Casarea Maje-
statis suae consensum, & expressum indultum,*

Anno
1650.

*nulla portoria, vestigalia, aut redditus alij, sub
gravi pœna, illis venduntor.*

Et talis quidem Propositio in hac regni
dieta fuit, quæ Cæsaris nomine Statibus
ad diem Lunæ 14. 24. Octobr. facta est:
quænam autem horum resolutio futura
sit, tempus, filia veritatis, suo infra loco nos
edocere poterit.

*Hunga-
rica.*

Interea Mercurius, rebus in Hungaria
gestis describendis, calamum stringit. Re-
tulit verò de hac materia in præcedentis
libelli primi paginis 44 usque ad 46. qui-
bus jam sequentia tenui filo adnectere sol-
licitus allaborat. Ab illo tempore porrò
accidit, quòd Viennæ denuò machinæ ali-
quot fulminales, qua majores qua mino-
res, catapultæ ignariæ, & id genus alia ad
bellum facientia, pro cõmuniendis Hun-
gariæ propugnaculis, expedita fuerint,
proximè illuc exportanda.

Dein Sac. Cæs. Majestas, audito apud
Principem Lobcovvitzium, concilij bellici
Præsidem, Turcico illo Tschiusio, qui nu-
per advenerat, cursorem quendam publi-
cum Budam ablegavit, Turcici illius præsi-
dij ephoro significatum, ut à militum ex-
cursionib. sibi temperaret, nisi pacis trans-
actæ legibus temerè adversari malit.

Hæc dùm itc fiunt, Hungariæ Palatinus
cum

cum præcipuis regni Primatibus Vien- Anno
nam accurrit, procuratum, ut Baro Schmi- 1650.
dius expeditioni Constantinopolim tan-
dem se accingat, id quod etiam brevi post
factum, supra jam descripsimus.

Durante adhuc Augusto, prope Neusi-
deliam, quæ non ita longè à propugna-
culo Komorra distat, centum nationis Ger-
manicæ equites cataphractarij cum quin-
gentis Mahometicalis conflictum inie-
rant; quo non solùm in harena constite-
runt, quin & hostium majorem partem
ferro debebant, & cohortis inimicæ Præ-
fectum ipsum, unà cum majorum gentium
Officiarijs, captivos Neusidelix infere-
bant.

E contrario, Cæsari mense Novembri
ingrata hæc nuntia Viennam allata, Cen-
turiationem eumque Commissarium, nomi-
ne Rauchium, qui auri vim magnam, &
septingentos probatæ virtutis milites Ger-
manos secum habuerat, cùm ferente ita
necessitatis casu, in Canisixæ confinibus ho-
spitia quærere coactus fuisset, per ruricolos
turpiter proditum, mox à tribus quatuorve
Turcarum millibus oppressum, atque ex
ejus commilitio maximam partem fæda
strage contrucidatam occubuisse, ita ut
præfatus Centurio ipse cum filio inter pu-
gnan-

Anno
1659.

*Res in
Suecia
regno ge-
sta.*

gnandum amissi sint; quamvis exigua hæc
Christicolarum manus fortiter adeò se
gesserit, ut infidelium ultra mille quadrin-
gentos ad Charontis cymbam relegarit.
Sed cum longe major hostium esset nu-
merus, prohiberi non potuisse, ne antedi-
cta pecunia hostibus in prædam cederet,
aut Christianus hic sanguis nece tam indi-
gna prosterneretur. Hæc ex Hungaris.

Res in Sueciæ regno gestas quod con-
cernit, cum ab aliquo hinc tempore, ad
celebranda Reginae Natalitia, ingentis ap-
paratus facti essent, & non spernendus ma-
chinarum fulminalium tormentorumve
bellicorum numerus in propugnaculis, &
locis alijs pluribus dispositus, displosum
illa postmodum constituta die; quapro-
pter ad diem *h* 8. 18. Decembris anni
proximè præterlapsi, in quem Festum
Conceptionis B. Mariæ virginis incidit,
apud Stockholmiam, non solum ob con-
clusam in Germania pacem, sed & in fœli-
cem memoriam fausto sidere redeuntis
Natalis reginæ, triumphus publicus actus
est, quo durante Regia sua Majestas horis
matutinis cultui divino in majori Stock-
holmienfium templo interfuit, & tam an-
te quam etiam post concionem (in qua
Psalmi decimi octavi Regii Prophetæ Da-
vidis

vidis versiculi 47. 48. 49. 50. & 51. qui sunt postremi, & ita habent 47. *Vivit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meae.* 48. *Deus, qui das vindictas mihi, & subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis.* 49. *Et ab insurgentibus in me exaltabis me: a viro iniquo eripies me.* 50. *Propterea confitebor tibi Domine in nationibus, & nomini tuo psalmum dicam.* 51. *Magnificans salutes Regis ejus, & faciens misericordiam Christo suo David, & semini ejus usque in seculum,* congrua Oratione explicati sunt) Musica extraordinaria, tubis & tympanis suaviter adstrepentibus, audita est.

Post rem divinam magna devotione peractam, innumeri jactus fulminales ex tormentis bellicis, quæ in hanc rem disposita stabant, increpuere; quibus machinæ in navibus bellicis displosæ, sonitu non ingrato adsonuerunt. Eo meridie ad epulas regias itum est, quibus non sine hilaritate sumtis, protinus ignes artificiales incensi sunt, & dein choræ plausæ, in quibus Mars representatus fuit, reliqui autem dies Orationibus varijs, actibus Comicis, & id genus alijs facetijs exacti.

Medio circiter mense Decembri, Dominus Chanut, Regis Galliæ Legatus,
B 4 Paris

Anno
1650.

Parisiis ad aulam revertitur, ubi paulo post comparuit etiam Capitaneus quidam, nomine Robertus Mede, quem Scotorum Rex, Carolus II, ex insula Jarsey amandaverat, cum literis, quibus pro favore & benevolentia, Ministris suis, cum primis Retvvinio, Locumtenenti Generali, Kingio quoque & Comiti de Monte Rosarum, nuper apud aulam agentibus, exhibitis gratiam referebat, adjecta etiam petitione, ne Regia sua Majestas futuras ejus intentiones & actiones ulteriori favore & affectu prosequi desistat.

Illo ferè tempore Sueciæ regnum anno-
næ charitas non levis afflxit, eò quod frigoris immanitas, & inde concreta flumina, frumentorum subvectionem impedi-
verant: Regina verò cum tertiana aliqua non leviter conflictabatur, missis ad quævis telonia mandatis, ut omne frumentum, quod hoc anno apportatum fuerit, absque portorio advehatur.

Tunc & de comitijs regni proximè instituendis deliberationes habitæ; quo fine regia diplomata passim exportata fuerunt, nunciantia, Conventum hunc mense Junio hujus anni Stockholmiæ frequentandum fore, eo autem peracto, Coronationis regię solennia celebratum iri.

Præ:

Præterea & in conscribenda Prætoria Anno
legione mille ducentorum virorum, pro 1650.
Galliarum Rege, eò quod hoc apud Regi-
nam sollicitarat, opera data est, nec non ad
navium necessariorum subvectionem ap-
paratus facti, ut durante adhuc Majo men-
se exportaretur. Prætoriano huic commi-
litio præficiendi erant, Baro Benedictus
Hornius, Tribunus; & Baro Carolus Spar-
rius, Legatus, cæteris autem Officiarijs ex
Livonæ & Suevicæ nationis Nobilitate
collectis.

Dominica JUBILATE, quæ erat 5. 15.
Maij, per omnia Stockholmiensium tem-
pla supplicationes solennes institutæ, pro
restituta reginæ sanitatis pristinæ integri-
tate; quippe & musici concentus, à quibus
aula in quinque jam hebdomadas absti-
nuerat, repetiti.

Die Jovis 16. 26. ejuld. Regina in aërem
publicum primum regressa, matrem Regi-
nam viduam invisit; & quandoquidem
sudum tum cœlum erat, altero post die re-
creationis ergo in theriotrophium proces-
sit. Dein 18. 28. hujus, navigia duo bellica,
MARS (quæ idem navis Generalissimi
Celsitudinem in Germaniam devexerat)
& MARIA, Stockholmia VVismariam
transierunt, antedictum Principem Palati-
num,

B s

num,

Anno
1650.

num, Carolum Gustavum in Sueciam re-
vectum. Non minus laboratum est, in mi-
lite pro Regis Galliarum custodia, ut
paulo superius narravi, conscribendo, qui
cum justo numero convenisset, de illo in
Galliam exportando consilia agebantur;
sed cum Legatus Gallicus, Dominus Cha-
nut, hac in re nonnullas difficultates addu-
ceret, quæ dubio procul ejusmodi commi-
litio, in mari præsertim Hispanico, susti-
nēdæ forent, non consultum judicabatur,
florem hunc militum veteranorum tanto
periculo exponere, quin potius certis im-
missum præsidij futuris casibus illum in-
nutrire.

Hæc dum fiunt, regni Sueciæ Mare-
scallus, cum deputatis aliis, Upsaliam
profectus est, curatum ea, quæ ad futuram
reginæ Coronationem pertinere videban-
tur: sed cum deprehenderetur, minus
commodum fore, hic loci Coronationis
actum instituere, mutata sententiâ est, de-
cretumque, apud aulam Stockholmiâ
Reginam coronare, id quod etiam brevi
post, ut infra audiemus, effectui datum
est.

Die Jovis 20. 30. Junij Dominus Sal-
vius, Reginæ nuper ad Tractatus Pacis
universalis Monasterii & Osnabrugis Le-
gatus,

gatus, Lubeca Stockholmiam advectus, Anno altero die Reginae auribus fruebatur, ubi 1650. cum benignè auditus fuisset, Regia Majestas in ordinem numerumque regni Senatorum Consiliariorumve illum adscivit.

Sub adventum Salvii Legati, ad frequentanda Comitia, diversi jam regni proceres, præsertim autem ex ordine Ecclesiastico comparuerant, qui cum Regiis delegatis in conficienda Constitutione de rebus quibusdam Ecclesiasticis & Consistorialibus, consilia sedulo comportabant; & siquidem, per crebras frumenti inventiones, penuriæ & caritati supra indicatæ non leviter consultum fuerat, omnis populus sibi inde gratulari visus est.

Tum vero & Magni Moscorum Principis Secretarius quidam in aula comparuit, & quidem ille, qui ante annum cum magna illa Legatione Stockholmiæ fuerat, certa quædam, quæ in commissis habebat, expeditum.

Duodetrigesima Junij, Comitia sæpius indicata, per publicum tubicinum concentum, & adhibitis consuetis solennitatibus, publicari cœperunt; quo facto, multi quidem regni Status ductim confluxere; sed quoniam majorum gentium quidam Proceres rarius adventabant, ex ea ratione
Propo-

Anno
1650.

Propositio, usque dum omnis Statuum concio convenisset, dilata fuit: Facta autem deinceps omnium ordinum congregatione, demum 6. 16. Julij Dominus Comes Oxenstirna, regni Sueciæ Cancellarius, præmissis Curialibus capita Propositionis summariter duntaxat, & in Generalibus tantum recitavit, quæ tamen postea etiam in Scriptis comprehensa, Statibus publicè prælecta sunt. Constitit autem Propositio illa duobus potissimum membris, quorum prius agebat de ulteriori Declaratione, Coronationem Regiæ suæ Majestatis concernente; posteriori autem tractabatur de præsentis rerum statu, eoque tam intra quàm extra regnum, unde necessarium esse Regiam suam Majestatem, ad restaurandas militiæ vires, milite & pecunia, ad delendum omnivarias expensas, protinus sublevari.

Intellecto itaque proponendorum argumento quodlibet Statuum regni Collegium ex more consueo Copiam sive Exemplum Propositionis continuò accepit: ad quod denique illi, qui sunt ex equestri ordine; Clerus item, Civitates & agricultores; singulæ quidem Classes per sui ordinis Deputatos responderunt, promittentes sedulo se hoc in negotio laboratu-

ros esse, omnemque lapidem moturos, ut Anno
Regiæ suæ Majestati quovis possibili mo- 1650.
do, & sine mora satisfiat. Qui verò Co-
mitiorum horum Recessus fuerit, & in
quem modum actus Coronationis Regiæ
exierit, suo infra loco pluribus recita-
bitur.

Deditâ Capellâ, (cuius expugnationem *Belli, inter*
paginâ 63, anterioris libri primi retuli:) & *Hispanos,*
in quo oppido Galli non tenuem anno- *Lotba-*
næ tormentariæ proventum, commeatum *ringos &*
quoque alium, machinas duodeviginti *Gallos in*
fulminales reliquerunt, serenissimus Ar- *Gallia po-*
chidux concussas urbis munitiones con- *tissimum*
tinuò reparandas ordinavit, objectas verò *gesti, con-*
fossas, & alia munimina terræ adæquanda *tinuata*
mandavit, Dominū du Moulin cum præ- *relatio.*
sidio sufficienti oppido præficiens. Hoc
facto, sexta deinceps Augusti die castris
ulteriùs promotis, prope oppidum *Estre*
an Pont, non nihil substitit, loco huic & cō-
finibus, contra discurrentia Gallorum præ-
sidia, de securitate provisurus, cū interea
Hispanorum peditatus circa Capellam,
Vervinium, Guisam, & quâ amplius pro-
vincia patet, omnem Cererem demeteret,
& leviter saltem trituratam annonariis ca-
strensibus venderet.

Paucis verò post interiectis diebus, o-
mnis

Anno 30 *Mercurij Gallobelgici*

1650. *Hispani-* *cus exer-* *citus in* *tria cor-* *pora divi-* *viditur.* *Rethelia* *potitur.* *mnis Hispanorum exercitus in tres partes separatur: quarum una, sub conductu Archiducis, versus Marleam; altera Duce Comite de Fuensaldagna, versus Rocrojam, reliqua autem, sub Turenno Marscallo, in Campaniam iter direxit.*

Turennius, & belli eiusdem socius, Don Stephano de Gamarra, cum in dicta regione quibusdam locis positi fuissent, porrò de intercipienda Rethelia consilia contulerunt, quo fine, qui Gallis eam defendentibus deditorem iniungeret, missus est: cui Ephorus regeffit, cum virium parum, machinarum autem tormentariorum nihil adhuc videat, sat sibi temporis superesse, hac de re animi sui explicandi sententiam. Verbis verò verbera ex tormentis addit, quibus præter cæteros terras fusos, Marchioni de Conflans crux lævum avellitur; quæ res in causa fuit, cur exercitus, qui quidem ad Renevillam morabatur, illuc deduceretur, urbem hæc vi militari ad obsequium redactum. Noluit Magistratus belli aleam experiri, sed claves portarum Archiduci tradendas mandavit; quo factò, præsidii Ephorus abiecta spe urbis porrò defendendæ, cum certa militum & rusticolarum manu in arcem secessit: verù & eandem illa adhuc nocte deseruit, cum
suis

suis, nescio quo, fugâ dilapsus: de quo si- Anna
 mulac Archidux intellexit, cives arma sua 1650.
 in arcem comportare mandavit, pro dire-
 ptione autem 80000. panes castrenses,
 2000. paria calceorum, totidem tibialiû,
 & centum cados cerevisiæ exegit. Dehinc
 loci inspectio commissa est, Martis Hispani-
 nici vigilum Præfecto Generali *del Ponte*,
 qui præsidio inducto, ex legionibus tribus
 Hispanicis pedestribus, una verò equestri
 constante, eidem novis aliquot munitio-
 nibus gnæviter providit, id quod duodeci-
 ma circiter Augusti accidisse referunt.

Eodem successu magni illud momen- *Et Castel-*
 ti Castellum *Porcin*, ex quo transitus per *lo Porcia*
 flumen *Aisne* commodè prohibetur, Duce *nio*,
 Turenno in Hispanorum manus incidit,
 qui & Durocorturo id necessitatis impo-
 sisse dicitur, ut magnam sibi vim auri cõ-
 tribueret, & regio illa longè lateque tribu-
 taria Hispanis redderetur.

Rethelia, dictum in modum, milite præ- *Sex legio-*
 sidiario & novis munimentis obfirmato, *nes hostiæ*
 copiæ Hispanicæ Castello novo castra pro- *fundit.*
 piùs admoverunt. Tùm forte Turenno
 in mandatis datum, ut lectis in societatem
 belli, Germanici & Lotharingici equita-
 tus signis, qui quinquies mille equitibus,
 aut circiter constabat, profundius in Cal-
 liam

Anno
1650.

liam procederet, quo facto, Veneris die
16 26. Augusti, ubi Sol jam in occasum ver-
gebat, agrum hoc ad oppidum *Fismes*, pro-
pe certas fauces, sex legiones ex commilitio
Gallico, (alii harum octo fuisse asse-
runt;) quibus Gubernator Peronnæ Do-
minus Hocquincurtius, vigilum || Præfe-
ctus Generalis, præerat, hasque ex præsi-
diis vicinioribus collegerat, suas nempe
cum Marecalli du Plessis Praslin viribus
iuncturus, obvias habuit, easdemque,
cum aliquandiu graviter reluctatæ fuissent,
in fugam tandem conjecit, profligatis cir-
citer ducentis, trecentis autem, & inter illos
Tribuno Mutio, cum pluribus Officiariis
aliis, in captivitatem ductis, vexillisq; quinque
aut sex Gallis ablatis. Sunt, qui conflictum
hunc aliter exponunt, adstruentes, prædi-
ctum Hocquincurtium graviter lauciatum,
pugnâ vix salvum Parisios excessisse; ma-
jorum gentium belli Duces propè 80. ca-
ptivos factos, quibus addendi ex ordine
equestri nobiles circiter quadringenti Præ-
dæ autem & spoliis adnumeranda esse ve-
xilla duodecim equestria, & peditum non-
nulla, cum omnibus legionum illarum im-
pedimentis; quæ tamen in re fidem penes
authorem Mercurius relinquit.

Rebus

Rebus ergò sic stantibus, Galli non te- Anno
merè metuere videbantur, ne in tanta re- 1650.
rum suarum iniquitate Hispani, de inva- *Principes*
dendo vel Durocorturo, vel Catalauno, *captivi a-*
aliquid moliantur; id quod ne fie- *liò trans-*
ret, Marchio de la Ferte, cum aliquot mil- *lari.*
libus armatorum, suburbia Durocorturi
occupavit. Præterea, cum Galli nullum
tunc exercitum in campo sustinerent, ve-
rùm Marecallus du Plessis Praslin, qui o-
mnem militem præfidiis immiserat, in op-
pido *la Fere*, & Locumtenens Generalis de
Ros in Laon, Monsieur Hoquincurtius
ad S. Quintinum, & Marecallus Ville-
quierius Atrebatum subsisterent, evenit, ut
Aureliæ Dux, aliique Ministri regii consul-
rum ducerent, Principes captivos, ob ca-
strorum Hispanicorum vicinitatem, ad lo-
ca tutiora traduci, ne fortè dolo aliquo in-
terveniente, è manibus carceribusve eva-
dant: ex ea causa, ☾ 6. Septembr. st. nov.
summo mane, sub præsidio sexcentorum
militum, ex castro Vincentiano ad arcem
Marcouffy, quæ sex milliaribus à Lutetia
Parisiorum versus Aureliam distat, trans-
lati sunt, paucis verò post diebus, ex san-
cto Dionysio Regius quoq; thesaurus, qui
ibi asservari solet, securitatis gratia Parisios
delatus.

C Dehinc

Anno 1650. Dehinc non sanè spes inanis affulgebat, motus hos intestinos amicabile aliqua transactione compositum iri, dùm ♀ 2. Argumētum literarū Archiducis ad Ducē Aurelianensē. Septembr. tubicen quidam literas Archiducis, quas in castris prope Bosochiam 30. Augusti, Duci nimirum Aurelianensi red- dendas, exaraverat, Parisios adfert, eius fe- rē argumenti: *Regis Hispaniarum manda- tis se juberi, ut communicatis cum Ducis Au- reliæ Celsitudine consiliis, ceu qui hoc tempore Regis jussu summam rerum administrat, & plena potestate instructus sit, ei vel pacis con- ditiones offerat vel belli continuationem de- nunciet; significationē addita, nihil Maiestatis suæ referre, utrum ex his electurus sit Au- relianensis, ad utrumq; enim Regem disposi- tum esse: in quibus literis, Hispanicè scri- ptis, id præcipuè observatum fuisse nun- ciant, quòd captivorum Principum ne verbulo quidem mentio facta sit.*

Sublecta die Sabb. cùm Aurelianensis Parliamentum congregari mandasset, & li- teris Archiducis in consessu procerum Par- lamenti publicè recitatis, de super delibe- rationes habitæ fuissent, altero post dilu- culo, Baro de Venderonne, cum antedi- cto tubicine Hispanico, & Aurelianensis responso, literis Gallicis concepto, ad Ar- chiducem ablegatus est, cuius responsi te- nor ferè is erat:

Candi-

Candidum atque serenum Archiducis a- Anno
 nimum sibi satis superq; cognitum & per se 1650.
 Etum esse, nec dignis laudum praconis extol- Aurelia-
 lere se posse favorabilem & benignam Pacis nensis re-
 oblationem, qua nuper literas suas impleverit. sponsam.
 Tanto autem rem melius successuram sperare,
 quanto luculentius appareat, Regia Hispania-
 rum Maiestati complacuisse, negocium hoc
 conficiunde pacis per Archiducis Serenitatem
 expediri; & nemini non notum sit, Regem,
 Dominum suum, & Reginam Regentem, a-
 nimos ad pacem inclinatos semper habuisse.
 Quemadmodum autem hoc magni momenti
 negotium sit, quod universus Orbis Christia-
 nus a longo jam tempore caelo exoraverit, ope-
 re precium se facturum credidisse, si in promo-
 tionem effectus, Baronem de Venderonne (qui
 literas hasce redditurus sit:) amandet, cogni-
 tum a Serenitate eius, quodnam tempus huic
 expediunde rei denominare, quemve locum,
 & quas personas constituere libuerit; satisfac-
 tione facta, ex sua etiam parte constituta die
 Legatos suos comparituros esse.

Sabbati 10. Septemb. nov. styl. memo- Negotium
 ratus Baro de Venderonne, misso cursore de futuris
 publico, Aurelianensem edocuit, benigne pacis con-
 se apud Archiducem auditum esse; pro- positione
 missione facta, Dominum Gabrielem de suscipitur:
 Toledo pecum ad Ducem proximè able-
 C 2 gatum

Anno
1650.

gatum iri, qui ad pacis tractatus, inter utrasque Coronas instituendos, ulterius proponat. Non ingratum Aurelianensi nuntium hoc fuisse intelligimus, qui propterea, ad dictum Legatum dignè excipiendū, omnia necessaria expedienda curavit, eundemque subsecuta Dominica II. I. Sept. rhedis duabus in pagum *Iffy*, horulæ circiter unius digressu à Parisius distitum, deduci mandavit; ubi ædes duas apprimè ornatas hospitii nomine habuit.

Sequente die Lunæ post prandium, prætractus Legatus Hispanicus, Don Gabriel de Toledo, in palatio Ducis Aurelianensis primum auditus est, præsentibus ibi Nuntio Apostolico, Pro-Cancellario, Secretario quodam status, duobus Præsidibus, & totidem Franciæ Marescallis. Delegati Hispanici Propositio eò collimabat: *Locus futuris tractatib. denominandus, intra Durorcorturum & Retheliam in Campania; Personæ tractantes Archidux & Dux Aureliæ essent, Archi & Ducali verbo cuiuslibet in fide interposita.* Hac super re, cū sequente deinceps die consilia conferrentur, decretum est, Nuntium Apostolicum antedictum, & Oratorem Venetum, in absentia Legati, ceu Mediatores inter utrasque Coronas, appellare, qui unà cum Comite d'Ayaux

d' Avaux ad Archiducem proficiscerentur, Anno
 ut Serenitati eius complaceat, locum alium 1650.
 denominare, qui castris Hispanicis adeò
 vicinus non sit; simulq; ab ea intellectum,
 utrum à Rege Hispaniarum plena pote-
 ste ad tractandum concludendumque in-
 structa sit; cui proinde suscipiendo itineri
 futurus dies Lunæ vel Martis (si modò de-
 sideratæ apud Archiducis Serenitatem sal-
 vi commeatus literæ ante illum terminum
 redditæ fuerint:) constitutus erat: interea
 autem 14. 4. Septembr. Archiduales
 Deputati, unà cum Barone de Venderon-
 ne, & tubicine (cui nominatas Commea-
 tus literas Parisios adferre iniunctum erat)
 Lutetia domum reversi sunt.

Quotus autem quisque est, qui nego- *Verum*
 tium hoc pacis sine successu expiraturum *sine fru-*
 esse affirmare ausus fuisset? sed ut uno ver- *et sic sus-*
 bo omnia comprehendam, omnis irritus *cessu.*
 labor & conatus fuit. Ab Hispanorum qui-
 dem parte credebatur, Gallos conventum
 in dies suspendendo, & statum terminum,
 qui erat 18. Septembris, non observan-
 do, rem omnem perdidisse: cum è contra-
 rio Galli prætenderent, non se ausos fuisse
 absque commeatus literis, (quas frustra so-
 diu expectasse querebantur:) via se cre-
 dere: adhæc probè se observasse addebant,

Anno 1650. Archiducem etiamnum sufficienti potestate à Rege Hispaniarum prævinitum non esse, & quæ id genus plura fuere, quæ tractatibus hisce remoram iniecerunt.

Lotharingicorum gestorum extensa relatio. Antequam verò in expeditione Hispanica describenda latius progrediamur, visum est, de Lotharingicorum gestis aliquid interlerere, idque ad continuationem illorum, quæ paginis 47. 48. 49. 50. & 51. præcedentis libri retulimus.

Diversis locis posuntur. Disiecto igitur Rulvurmiano commilitio, quod 1200. militum aut circiter erat, & captivis abductis ex gregaria militia propè septingentis, cum plerisque Officiariis, quorum omnium impedimenta Lotharingicis in prædam cesserunt, die 19. 9. Augusti copiam Lotharingicam Sarburgo Lotharingiam versus iter ingressæ sunt, quæ in provincia, intercurrentibus paucis diebus, non solum Rambervillam, Remiremontium & Espinalium interceperunt; quin etiam præsidium in Stenay arcem Byssancy, quæ hostibus impedimento est, ne Stenaviam, Moussonium & Sedanum temerè adoriantur, feliciter occupavit, profligato militum tribuno de la Marre, qui cum 500. equitum signis auxiliatum venerat, eodemque cum quinque equitum Præfectis, & centum sexaginta equitibus, intercepit.

cepto, reliquis autem ad Musonium usque Anno
in fugam se conicientibus; quem successum Gallos adeò terruisse fama est, ut
1650.
Thannum, & alia eius regionis loca, ocyus
ampliori milite communire non destite-
rint.

Dedito deinde 6. i 6. Septembr. Novo-^{Castrum}
Castro, cuius præsidium Tribunus Battilly ^{Novum}
imperio rexerat, Lotharingici per hoc clo-^{deditione}
cum ad Mosam probè firmum obtinue-^{suum fa-}
runt: hinc Comes de Lingeville traducto ^{ciunt.}
versus Tullum exercitu, illis in partibus le-
gionum aliquot supplementa expectavit.
Non verò diù hac in Diœcesi substitit, sed
durante adhuc Septembri illà rursus ex-
cessit, itinere Voidiam instituto, ubi arx est
non ridiculè firma, quæ 27 huius in Lo-
tharingicorum potestatem similiter con-
cessit. His adde arcis Barrianae interce-
ptionem, qua in fidem accepta, antedi-
ctus Comes Lingevillanus, militiæ Lo-
tharingicæ Locumtenens Generalis, nonâ
Octobris nov styl. summo mane castra
movit, atque iter Lignium versus instituit,
ast reflexo mox itinere ad S. Miel accessit,
eoque vespere prope pagum Villetete dele-
ctum militū habuit, donec omnes omnis
exercitus legiones convenerant. Dein ve-
rò hospitium suum Leoncurti, quod alii

Anno
1650.

Lenomurium appellant, summis, reliquum autem omne commilitium, cum maioribus adiunctis, re tormentaria, legionibus duabus equestribus, & totidem pedestribus, Lignianæ valli immisit, ubi etiam circa quintam eius vespere tectis recepti sunt.

*Graviter
affligun-
tur.*

Hic loci narratu dignum aliquid accidit: Martis enim Gallicani Regius Præfectus, & Nancei, quod est in Lotharingia, Gubernator, Marchio de la Ferte Seneterre, quamprimum de Lotharingicorum adventu in dicta valle cognovit, conducta ocyus forti militum manu, brevi post, ubi vix horæ spatium erat præterlapsum, cum sedecim equitum turmis, unaque & altera peditum phalange, universum hoc Linguevillanum agmen improvise incursione oppressit, idemque post acerrimum conflictum fœda tandem strage affecit, in qua Lotharingicorum circiter trecenti mortem oppetiisse, sexcenti autem & amplius, quorum in numero vigilum quidam Generalis Præfectus, tribuni Movicantius & Valentinus, (quæ legiones equestres, unâ cum Linguevilliana, Sylliana ac Berniana, pedestribus, plurimum damni contraxerunt) Colonelli etiam alii, Locumtenentes seu Legati, vigilum Magistri, Maiores, Capitanei

tanei seu Centuriones, quorum nomina Anno scriptis expressa non accepimus, sub capti 1650. vitatis jugū missi perhibentur: præter majorē impedimentorū partem Gallis in prædam cesserunt, machinæ quatuor fulminales, hospitia omnia ad motis facibus exusta, cū interea reliquiis exercitus Lingueviliani noctis ad miniculo ad sylvam proximam confugiendi tempus relinqueretur.

Postera post lanienam die, Comes Linguevillanus, collectis è fuga circiter trecentis equitibus & paucis sclopetariis, quorum complures vulneribus notati erant, prope Ligniam versus Castrum novum turbatis ordinibus processit, quorum tergis Marchio de la Ferte (qui altero die urbem Ligniam stricto ferro recuperavit, & tūm vulnere, at non lethali, lauciatus fertur) acriter institit, de cuius ulterioribus successibus in posterum forte aliquid scriptu dignum accidet.

Circiter 9. 19. Septembr Hispanici castra sua, quæ prope Fismes habuerunt, & in qua vicinia uno ferè mense hæsitaverunt, de nuò submoverunt, itinere versus Retheliam & Moussonium instituto, quorum hoc brevi post obsidione ad ortos, paulò inferiùs audiemus; in quo tempore, dūm Hispani ad oppidum Fismes castris conserunt.

*Hispani-
corum ca-
strorum
status pro-
pe Fismes
oppidum.*

C 5

derunt.



Anno
1650. derant, Generalis de Rosis continuè incurstationibus non parùm illis molestus fuit.

Moussonium expugnatur. Calendis Octobris Archidux, cum omni aula Vendiam, quæ fluvio *Aisne* adhaeret, venit: huius autem exercitus interea *Moussonium* obsidione circumdedit, locum, quoad amplitudinem eius non quidem adeò capaceum, verùm defensu facilè atque peridioneum, in *Mosæ* fluminis ripa situm, undè & Hispanis, per mensem amplius eum urgeatibus, non parum negotii facessit. Cessit tamen ad ultimum extremo Hispanorum furori oppidum, non sine occupantium insigni clade pactis conditionibus deditum 5. Novembris: ex eo discesserunt Gallorum septingenti integra valetudine, infirmatorum sauciatorumque trecenti, cum expensis signis, plena armatura, omnibus impedimentis, & duobus tormentis; in horum autem locum successit 6. eiusdem, Comes *Fuensaldagnius* cum mille ducentis Hispanis; qui simul ac mœnium ruinas reparandas, obiectasque munitiones complanandas mandavit, & occupatis quibusdam per *Picardiam* & *Campaniam* locis de præsidiis & alio apparatu necessario sollicitè providit, tandem & ipse ¶ 24. 14. Novembr. *Bruxellas*

xellas reversus est, quò etiam 26. mensis Anno
præterlapsi Archidux, cum omni aulæ fa- 1650.
militio ex castris ad Vendy oppidum po-
sitis venerat, viarum itinerumque difficul-
tatibus, ut hoc faceret, inductus.

Quod verò Moussonii obsidionem præ-
cæteris difficilem reddidit, horrenda aqua-
rum exundatio fuit, & rerum, ad trahen-
dam vitam necessariorum summa penuria,
quarum advectionem viæ cœli iniuriis un-
dique corruptæ, & aquarum damnosissi-
mæ exundationes prohibuere. Hinc Hi-
spano militi non uno die ad brachia usque
in aquis & ambulandum & laborandum
fuit.

Moussonii expugnationem Donkerii ex-
cepit deditio, quod uno duntaxat millia-
ri à Sedano, tribus autem à Moussonio ab-
est: Econtra partium Gallicarum Comes
Villequierius in occasione quadam prope
Mezieres oppidum, præter alios, etiam
Don-Gonzagum de Cordua, inter pugnân-
dum trucidavit, & Comitem de Bouffy
captivum abduxit.

Diebus 19. & 20. Novembr. apud Bru-
xellas pulsu maiorum ærametorum so-
lenniter triumphatum est, hymnusq; Di-
vorum Ambrosii & Augustini, quem alias
Te Deum laudamus, appellant, decantatus,
id quod

*Et Don-
kerium.*

*Velleris
aurei E-
quites cre-
ati.*

Anno
1650.

id quod factum aiunt, ob Regis Hispaniarum victorias, quas elapsa æstate in Italia, Catalonia Galliaque magnis successibus obtinuit: ibidem Calendis Decembr. nomine dicti Regis tres præcipuæ existimationis viri, Marchio Sfondratanus, Comes Bucquoyus, & Comes à Schvvarzenburg, in velleris aurei equites creati, quibus solennibus alii duodecim eiusdem dignitatis proceres interfuerunt.

Rumor de Gallorum adventu, rebus cum Burdigalensibus feliciter compositis. Circumfertur interea rumor non inanis, Burdegalam, vulgò *Bourdeaux*, Aquitaniæ metropolim, cum Rege Galliarum Christianissimo in pristinam amicitiaæ fidelitatisque viam rediisse: hinc copias illas, quarum opera Rex, in compescenda civitatis illius contumacia, usus est, in mandatis accepisse, itineri in Picardiam & Campaniam conficiundo accingeretur, nimirum Hispanorum progressibus, quantum fieri possibile fuerit, occursum.

Ad hunc rumorem, Gallorum mox ingens multitudo ad Durocorturum confluit, quæ res Retheliæ Præfectum del Ponte, non sine causa dubitare fecit, quin hæc faba in se cudi debeat; quapropter ad octo & plura etiam milliaria circumcirca, maxime autem, quæ Rhemenses & Parisienses adimus, omnem frumenti, avenæ, fœni,

fœni, & rerum aliarum proventum ex a- Anno
gris in urbem convehendum curavit; quic- 1650.
quid verò commodè asportari non potuit,
iniecto Vulcano cremandum ordinavit.

Decima Decembris Orbi illuxerat, cum *Rethelia*
Galli Retheliam exercitu suo, equitum de- *obsideri*
cem millium, peditum autem 8000, sepire *incipit.*
aggrederentur, in quæ castra Cardinalis
Mazarinius ingentem vim auri 1200000.
floreorum præmiserat, quò idem ipse Cal.
Decemb. magna comitante Grandium, ca-
terva quos inter Dominus de Palvan, Co-
mingius, & alii erant, sub præsidio mille
octingentorum quæ equitum quæ pedi-
tum, Duce Digbyo Parisiis subsecutus est.

Post exoluta militibus stipendia, incre- *Atque in*
dibile quantum audaciæ ac fiduciae urbis *deditione*
expugnandæ omnium animis additum sit: *compellis-*
non jam milites cœli iniuriam, aut pericu- *tur.*
li præsentiam metuere amplius visi sunt,
quin Galli expugnato ad 12. huius subur-
bio, Hispanos eò angustiarum redegerunt,
ut ad paciscendum animos applicuerint,
tandem 14. eiusdem cum sarcinis & im-
pedimentis, carris quoque duodequadra-
ginta, numero circiter mille pedites, equi-
tes autem ducenti Valencenas dimissi.

Ventum cum obsessis ad supremum e- *Hispanis*
rat, ubi rumor in castra pervenit, Turen- *frustrà*
nium *contrariis*
tentibus.

Anno 1650. nium Mareſcallum cum 8000. equeſtri; 3000. autem pedestri commilitio, ex Lotharingis & Hispanis, quibus tormenta & bellica subvehantur, in propinque adesse, ut urbem copiis Gallorum undique cinctam liberaret. At cum locus jam obſidentibus deditus fuisset, Gallicus exercitus Turenno r4 huius contra obviam processit, eundemque altero post diluculo ad Estienne offendit: ubi postquam utraque pars suos in aciem collocasset, Turennius cum cornu lævi agmine, in Gallorum alæ dextræ phalangem tanto furore inventus est, ut uterque belli Dux, de Rosi & Villequierius, qui illam imperiis moderabantur, compellerentur, ad peditum usque Gallorum cessum ire; qui peditatus tamdiu cum Hispanis confixit, donec equitatus propè fusus, disiectas vires aliquantum recollegit.

Qui propterea facta clade afficiuntur.

Interea Mareſcallus du Plessis, Turenno in sinistram aciei cornu, quod Lotharingici adimplebant, in fugam similiter coniecit, & quidem tanto valore, ut Turennius, quantum etiam in hoc sudare videbatur, in ordinem illud restituere nullus valuerit: qui cruentus conflictus (in quo tres equos sub Turenno globis traiectos memorant, ac Ducem ipsum sine vulnere pugna

pugna non excessisse constat:) ubi inter- Anno
 tiam horam perdurasset, Tureniani deni- 1650.
 que, insultus Gallorum amplius non fe-
 rentes, harenâ cedere compulsi sunt, reli-
 ctis curribus, commeatui tormentario an-
 nonæ etiam & impedimentis vehendis,
 centenariis aliquot, amissis etiam octo ma-
 chinis, quas tecum habebant, & peditatus
 pleraque parte occisione deleta. Vice ver-
 sa quædam Turenianorum militum ma-
 nus dicta die 14. Decembris, quendam
 Mazarinii ministrum cum 50000. Scuta-
 tis, quæ ad exercitum Gallicum exportâ-
 turus erat, captivum obtinuit.

Cædes atque jactura, quam Tureniani- *Jactura*
 ni, & cum his coniuncti Lotharingi ac Hi- *Tureniani*
 spani passi creduntur, ad 4000. adsurgit, *anorum,*
 quorum pars media ferro deleta est, altera *Hispano-*
 autem captivitatis necessitatem adiit. Ca- *rumve.*
 ptivo sanguini adnumerantur maiorum
 genrium Duces sequentes: *Don Stephano*
de Gammarra, Locumtenens Generalis, &
Moussoni Gubernator: *Monsieur Foug-*
gius: *Mons. d' Hancourt*: *Mons. de Boutte-*
ville, qui vulnere quoque notatus est: *Co-*
mes de Lanau, qui equitatu Germanico
 præfuit: *Mons. de Gleric*, *de Serici*, *de Ger-*
ze, *d' Avigny*, *de Montaulie*, *de Chambloy*, *de*
Malapierre, *de Foyole*, *de la Boissartire*, *de Go-*
nelle o

Anno
1650.

nelle, & plures alii, quorum nomina adhuc incognita latent, ex quibus nonnulli letalia vulnera acceperunt.

Funera occisorum nobilitarunt, *Princeps quidam Palatinus Philippus nomine, septemviri Heidelbergensis Germanus frater, qui legionem unam equestrē ex comilitio Lotharingio rexerat: dein Comes de Quintin, Marchionis de Moussana filius: tribunus Cappion: Mons. de Bourdet, Campi-Marescallus, & alii.*

Gallia
clades,
quoad
maiorum
gentium
Præfe-
ctos.

In phalange Gallorum mortui ceciderunt ex primoribus, *Procomes de l' Hospital: Procomes de Courval, præsidii Gallici apud Moguntinenses nuper Ephorus: vigilum Præfectus Generalis de Rosis, Domini Reinholdi, Locumtenentis Generalis, frater: Tribunus du Plessis, Campi-Marescalli du Plessis filius: Colonelli, Penzius, du Val, de Barade, Duras, Fevade & Balvimar, cum quibusdam aliis, quorum nomina in sequenti libro tertio forsan clarius recitari & adsignari poterunt: Strages autem gregariorum omninò nescitur.*

De vexillis & signis utriusque partis, quotnam eorum ablata sint, diversæ quidem relationes extant, sed quæ admodum sunt incertæ, & quibus fidem non facile adscripserim. Parisiensium literis refer-

tur, vexilla ibi exhibita esse quæ equestria Anno
qua pedestria quadraginta, cum tympanis 1650.
æneis sex, quæ demùm in templo B. Ma-
tiæ Virginis ceu trophæa publica suspen-
sint; hymno *Te Deum laudamus*, die 20.
10. Decembris pro victoria, & Retheliæ
expugnatione solenniter etiam recitato.

In fervido hoc prælio præsertim tres le-
giones Gallicæ penè internecone deletæ
sunt nimirum Ducis Aurelianensis, Palvea-
na, & quædam alia, Palveana autem om-
nium pessimas tulit. Tribuendus verò &
peditatui Gallico honor suas est, quippe
cuius virtus, & in pugnando constans forti-
tudo, victoriâ hanc non sine invidia repor-
tavit et si nemo sit, qui ap. Turenii pedestre
commilitium iure quid desiderare possit:
legio enim eius prætorica tanta pertinacia
decertasse fertur, ut paucis exceptis, quib.
vita donata est, omnes ferè in pugna loco
trucidati fuerint. Et sitribuendum quid
est literis Lugduno ad nos perlatis, Turen-
nii iussu, in munimento Barleduc quatuor
militum tribuni capitibus supplicium subie-
runt, sex autem Centuriones ex Germani-
co peditatu officii dignitate imminuti
sunt, quod inter pugnandum muneri suo
non satisfacissent; num verò res ita se ha-
beat, tempus in posterum certitudinem a-
periet.

D

Post

Anno **1650.** Post interceptam Retheliam urbem, & Gallorum no-Turrennianis victoriã, exercitus Gallicus ab invicem se separavit: alii in Norin hibernamandiam, & locis conterminis, in hiberna deducitur deducti sunt: alii verò, & præsertim illi, qui sub Marefcallo Hoquincurtio, de la Ferte, de Rosis, & Fleckenfteenio, ftipendia merent, Barrium adorti, 25. demùm Decembris conditionibus illud receperunt: quo factò, ad recuperandum quoque Novum castrum vires intenderunt, de cuius autem moliminis fuffeffu, & aliis eorum geflis, in fequenti libro tertio plura videbimus.

Simultates cum Burdigalensibus compofita. Juxta has turbas, mense Septembri Rex Christianiffimus fimultates quoque, quas cum Burdigalensibus gerebat, etfi non sine fanguine utriufque partis, tandem compofuit, id quod fequentibus conditionibus eveniffe accepimus:

1. Civitati Burdigalenti, & quibusvis illi adherentibus, amniftia generalis, five perpetua geftorum oblivio promittitur, & fervator. 2. Gubernamentum à Duce Efperno- nio tollitur, nec ei ullive alii ex eius domo aut profapia in eternum redditor; quin in locum eius Regis unicus frater, nimirum Duc d'An- fon, cuius Locumtenens Generalis vel Mare- fcallus

scallus Schombergius, vel Marchio de S. Luc, Anno
 esto, iam nunc substitutor. 3. Principis Con- 1650.
 dei Coniugi, cum filio, Duce Anguino, Ne-
 raccium: item Duci Bullioneo, (cuius Con-
 iux & filia Parisiis ex carcere etiam dimit-
 tuntur,) in Turrainianam provinciam, secu-
 ritatis causa digredi, integrum esto. 4. Di-
 cto Duci Bullioneo pro illo, quod ipsi ratione
 preteritionis in Sedanum, adhuc exsolvendum
 restat, 1200000. libra numerantur, tracta-
 tusque, qui vivente adhuc Rege defuncto cum
 ipso conclusi sunt, omnino executioni mandan-
 tor. 5. Burdigalenses nullo modo tenentur,
 arcem regiam sive castellum, nuncupatum
 vulgò La Trompette, quod antehac destru-
 xerunt, restaurandum curare. 6. Univerſa
 Aquitania per integrum sexennium ab omni
 onere regio eximitur, & toto illo tempore Bur-
 digala omnibus tributis, quae cateroquin Regi
 pendere debuisset, in refusionem acceptorum
 damnorum perfruitur. 7. Pro quorum, &
 aliorum conclusorum articulorum maiori se-
 curitate, & ne quid in illos peccetur, Parla-
 mento Parisiensi, & Duci Bullioneo sufficien-
 ter cavetur.

Aiunt, Ducem Aurelianensem illum,
 qui primus hæc nuncia attulit, compensa-
 tionis nomine in Capitaneum elegisse, &
 quidem eius legionis, quam pro filio suo.

Anno
1650.

*Regis in
urbem*

*Burdegala-
m in-
troitus.*

Principe de Valois, conscribendam mandavit.

Quinta Octobris, Rex cum matre Regina eleganti quadam triemi vectus, quã Burdigalenses miserant, magno accurrentis populi applausu in urbem intravit, & cum altera die in metropolitano templo cultui divino vacasset, eo peracto, Parlamentum, Magistratus, & reliqua omnia Collegia, utramque Maiestatem salutarunt, iisdemque de Hispanorum Coniuratorumque, in hanc provinciam excogitatis fomentatisque machinationibus, feliciter oppressis, contestando magnoperè hac in re sibi satisfactum esse, gratulati sunt. Præterea ante Regis ingressum in hanc civitatem, Declaratio eius, quæ super Recessu translationis cõscripta fuerat, protocollo Parlamenti inserta, capita a. illius in cõsuetis civitatis arèis publicè recitata sunt, id quod non sine multis solennitatibus factum est. Verum de Gallix statu alibi plura.

*Res Itali-
ca bello
gesta.*

Ad res, inter Hispanos Gallosque in Italia & Catalonia bello gestas, redeundum est, ubi inter cætera describendus venit exitus obsidionis celebris illius munitimenti *Porto-Longone*, de quo Mercurius in præcedenti libro paginis 67. usque 73. retulit, cuius successus hic fuit.

Postea-

Posteaquam Galli, ad divertendos ab Anno
 obsidione Hispanos, nullas vires cogere, 1650.
 nec obsessis, aditu prohibiti, novo milite
 adesse possent, tormenta multa bellica, &
 ingentem apparatus rerum tormentaria-
 rum, quibus Tuloni naves oneraverant,
 Barcellonæ re infecta exposuerunt; quo
 cognito Don- Joannes Austriacus, exspi-
 rantibus paulatim induciis, machinas quo-
 que fulminales, quibus obsessos concusse-
 rat, in naves convehendas ordinavit, ca-
 stra autem, & excitatas alias munitiones di-
 rui complanarique jussit, omnibus, quæ ad
 introitum facere videbantur, expeditis.

Subsidiis igitur nusquam apparentibus, *Munimē-*
 Galli denique, trimestrem penè obsidio- *tū Porto-*
 nem passi, decima quinta Augusti (ita enim *Longone*
 convenerat) loco cesserunt, quibus sarcinæ *Hispanis*
 & impedimenta salva relicta sunt, viamq; *ceditur.*
 maritimo itinere in Provinciam legerunt.
 Exeuntes hi erant; loci sive munimenti
 Director, Monsieur de Marliach, cum Do-
 mino Neufflorio; famuli 30. militum Præ-
 fecti 32. gregarii milites 542. caculæ 65. &
 machinatores 42. quæ summa constituit in
 universum 713. personas, quæ omnes recta
 adhuc valetudine utebantur: Contrito-
 rum autem infirmatorumque 295. erant.
 Reperta sunt in munimento pulveris ni-

Anno
1650.

§4

Mercurii Gallobelgici.

trati residui pondo 40000. Glandium
sclopetis aptarum 320000. pondo. Funi-
culorum incendiariorum pondo 350000.
Globorum machinis ferreis trudendorum
2600. Pilæ ignivomæ, quas Granatas vul-
gò appellant, mille numero. Antliæ 50. Py-
roboli numero circiter mille. Tormenta
sive machinæ fulminales, qua metallo qua
ferro fusæ, 68. Frumenti modii 817. quo-
rum singuli 160. libras æquant: Hordei
modii 500. Farinæ 1663. singuli ducento-
rum pondo: Panis bis-cocti pondo 1484.
Oryzæ pondo 834. & sacci 764. fabis op-
pleti, qui proventus, ad nutriendum præ-
sidium, in biennium sufficere, plus quam
satis credebatur.

Etsi verò damnum, quod Galli in amif-
sione huius loci contraxerunt, ultra unum
scutatorum nummorum millionem assur-
gere putatur; Hispanis tamen eiusdem
expugnationem magno etiam constitisse
referunt, quippe qui in obsidionem hanc
ad 1400000. Coronatorum, & propò
10000. armatorum, qui variis modis pe-
rierunt, impendisse nunciantur.

Digressis itaque Gallis, Princeps Joan-
nes Austriacus, & Neapolitanorum Pro-
rex, Comes Ognatæus, cum legionibus
aliquot præsidii nomine in munimentum
intra-

intrarunt: ubi verò Superis pro victoria gra- Anno
 tes habitæ sunt, & quidquid ad conserva- 1650.
 tionem ejusmodi insignis munimenti fa-
 cere credebatur, ordinatum, Don Austria-
 cus cum navigiis majoribus Palermum in
 Siciliam; Pro-rex autem cum triremibus
 Neapolim secessit, ubi in Castello novo,
 quinque majora tormenta, Regis Gallia-
 rum insignibus notata, disponenda ordi-
 navit.

Belli præterea negotiū Hispanis in Cata-
 loniæ regno feliciter successit: præterquam
 n. quod multa loca à Gallorū fide defece-
 rant, Marchio de Mortara militiæ Hispa-
 no-regiæ illis in partibus Generalis, men-
 se Sextili præmunitum illud Castellum,
Flixia nomen illi est, (quod 900. militum
 præsidium aluerat, & cui sub fideli inspe-
 ctione Domini Colombini, præsidii
 Moderatoris, de rebus omnibus, ad tra-
 hendam obsidionem, optime provisum
 erat) etsi non sine suorum clade, & duo-
 rum magni nominis Ducum cæde, prævia
 Capitulatione ad obsequium Regis sui
 reduxit.

Ajunt, loci hujus expugnationem secu-
 tam fuisse Castri *Miravetani* deditioem;
 dehinc succubuisse munimentum *Scornal-*
bonum ad Tarragonensium montes sive

Anno
1650.

alpes: & *Faucium Cofalbianarum*, quæ itidem in manus Hispanorum incidisse perhibentur.

Mense deinde Octobri *Tortosa* obsideri cœpit, quæ magni momenti urbs est, & Clavis, ad aperienda utraque regna, Aragoniam & Valentiam, non procul à mari, Ibero flumini adsidens. Summopere autem Galli laborabant, urbem hanc ab obsidione quæ terra quæ mari vindicare, id quod tamen irritò ubique effectu tentarunt. Hinc, cum obsessi 26. Novembris per literas edocerentur, Classis Hispanicæ Navarchum, Ducem Albuquerqueium, 14. ejusdem subsidia Gallica, quæ quinque navibus advecta, 500. militibus constabant, certò disturbasse, 27. mensis antedicti tres majorum gentium Officiales miserunt, plena potestate instructos, eò transigendi, nisi ante quintam Decembris auxilia Gallorum plenis castris adventura sint, urbem se præmemorato Domino Marchioni dedituros esse, hac saltem conditione reservata, ut præsidio Gallico liberum relinquatur, ex more in bellis recepto, plenis armis & duabus machinis, globos ferreos 24. pondo emittentibus, unà cum pulvere faciendis decem jactibus sufficiente, ad suos digredi: de quo cum
ita

ita inter partes convenisset, suos utraque Anno
obsides dederunt. 1650.

Quum ergo constituto termino subsidia
nulquam apparerent, Tortolæ Præfectus
Dominus de Lauvay, ad prædictam diem
Lunæ, quæ erat 5. Decembris novi stili,
vi pactorum deducto Gallorum præsidio,
quod adhuc, exceptis vulneratis & infirma-
tis, mille quingentis & sexaginta septem
militibus constitit, urbem in Hispanorum
manus consignavit, in quam proinde Mar-
chio de Mortara, magno tam incolarum
quàm accolarum applausu ingressus est.

Post hanc perpeſſam cladem, Catalo-
niensium Pro-rex Dux de Mercœur, cum
Gallis suis in hyberna conceſſit: & quia vi-
debat, maiores Hispanorum successus esse,
quàm ut sistendis illis, hoc quidem tempo-
re, parere possit, ipse quidem, cum Mar-
chione Maigrinio, & plerisque belli Du-
cibus, Barcelonam revertit, brevi post Pa-
risios profecturus, ut Regem de infelici ar-
morum suorum in illis partibus statu edo-
ceat, cui itinericùm 18. Decembris se ac-
cinxisset, confectâ feliciter viâ, 4. demùm
Januarij 1651. Lutetiam Parisiorum con-
secutus est. Hæc de Italia & Catalonia
statu.

Cæterum res in Italia extra bellum ge- *Gesta Ita-*
lica extra *lica extra*
D 5 *stas bellum.*

Anno
1650.

stas quod attinet, ob præactum superiori libro pag. 78. tumultum, quem Galli suscitaverant, Legatum Hispanicum armata custodia circūvehi oportuit: hinc pro majori eius securitate quingenta sclopeta palatio illius illata, quia Neapolitanorum Prorex suppellectilem illam nuper secum Neapolim asportaverat: & quoniam certo tempore nocturno famosa scheda fuerat affixa, minas continens, nisi pubem, quam vi in castra Hispanorum ad Porto-Longone deduci mandasset, reducendam curaret, fore ut palatium eius furtivis facibus succendatur: quod ne fieret, continuas excubias ordinavit; & Pontifex quibusvis parentibus seriò injungi mandavit, ut filios suos novum illud proverbium, *Quarda la Miseria,* dedocerent.

Ad diem Mercurii 24. 14. August. idem Pontifex à Venetorum Legato nuncium obtinuit, Classis Venetæ Præfectum Mocenigium, propugnaculum S. Theodori apud Candiotas ab infidelibus recuperasse, ob quam rem eo vespere Roma triumphalibus ignibus colluxit.

Tum quoque Bulla quædam Pontificia, data Romæ duodecima Novembris anno 1648. typis exscripta prodiit, quæ in Germaniam exportata, Pontificis suasu quos-
vis

vis articulos Pacis cum Suecis roboratæ Anno
 irritos atque invalidos habendos ex- 1650.
 ponit; rejiciens etiam octavum Electro-
 rem, Principem Palatinum Electorem,
 Carolum Ludovicum, quem Hæreticum
 appellat, propterea quòd hæc omnia absq;
 præscitu, & sine consensu Sedis Apostoli-
 cæ facta sint: Idem Pontifex, datis 30. bullis
 bis mille pedites et si sine tympanorum
 strepitu, conscribendos mandavit.

Venetiis eo circiter tempore Urna ex-
 posita est, cuius beneficio brevi ad sexies
 centena millia Ducatorum collectu per-
 scribuntur. Felix acquirendi auri modus,
 si ita res est.

Mense Octobri apud Romanos, famo-
 sa quædam meretrix, (quod hominum ge-
 nus Galli *Courtisanes* appellant) & mater e-
 jus, pœnam virgarum publicè inierunt, eò
 quòd rhedâ vectæ, urbem Romam per-
 meaverant. Nobiles tres, qui in illarû con-
 sortio erant, & eadem rheda vehebantur,
 vi legis ad transtra relegati sunt: rheda ve-
 rò filco adjudicata, & pretiosa quæque,
 quibus prostibulum illud exornatum erat,
 pretium quingentorum Coronatorum ad-
 æquantia, publicè vendita.

Similiter, cum sub finem Novembris, in
 dicta urbe Roma, post Pontificis palatium,
 quod

Anno
1650.

quod est in Vaticano, tres personæ occisæ, & in Legati Gallici hospitio caput humanum absque tunco inventum fuisse, suspicio orta est, Neapolitanos, quos Legatus ille sub tecto eodem profugos alebat, cædum harum authores procul dubio exterre: quare domus illa 600. partim militibus, partim licitoribus circumfessa, & personæ circiter 50 comprehensæ sunt, ex quibus tres vitam laqueo finierunt, octo autem trahendis remis ad sidere jussi sunt; quam vim & iniuriam, hospitio suo factam, Legatus non sine gravi dolore sensisse nuntiat, qui propterea etiam jussu Regis sui, quem de hoc per Secretarium suum certiore reddiderat, in salutato Pontifice ad tempus aliquod Roma discessit. Et tantum etiam de rebus in Italia præter bello gestis satis dictum esto.

Bellum Venetum cum Turcis.

Accingimur describendo bello Venetorum cum Turcis gesto, cuiusmodi Rubricam pagina 81. antecedentis libelli insinuat. Occurrit autem ante omnia enarranda memorabilis illa recuperatio & expugnatio castelli, quod à Sancto Theodoro nomen acquisivit, tali ferè modo ad effectum deducta.

Arx Sancti Theodori recipitur.

Postquam classis Venetæ Navarchus, Dominus Mocenigius, animum suum de oppu-

oppugnando tanti momenti munimento
 iis apperuisset, ad quos hoc scire pertine-
 bat, multas quidem hi difficultates obje-
 cerunt, quas nostris impedimēto fore cre-
 debant, at cū cognoscerent, Generalem
 proposito suo expugnandi loci firmiter in-
 hærere, animum quoque suum applicue-
 runt, decretumque est, ad difficilem hanc
 expeditionem se accingere. Hoc facto,
 antedictus Mocenigius die 14. Julij sub
 noctem, cum adjuncta classe ad rupem, cui
 castellum S. Theodori insidet, propius ac-
 cessit, atq; ibidē apparente luce militem
 è navibus exponi mandavit: Dicitur veidē
 castellum San - Theodori à latere rupi af-
 fidet, s. vel 6. milliaribus Italicis à Canæ
 propugnaculo, cui majorem partem Ca-
 stellum commendare ajunt, quod obscuro
 nomine suo *Turlulu* dicitur.

Anno
 1650.

Appulsis igitur navibus, Mocenigius si-
 mulabat, ac si arcem San - Theodori pri-
 mum invalurus esset, unde etiam præsidio
 Turcico negotii satis faceffit. Interea au-
 tem maiorem copiarum partem castello
Turlulu obiicit, quod dum Veneti extremis
 viribus oppugnant, binis assultibus fortiter
 reiiciuntur, tertio autem castellum vi ex-
 pugnatur, & quotcunque illud defende-
 rant, trucidantur. Nostri castello potiti,
 machi-

Anno
1650.

machinas in arcem S. Theodori displodere non destiterunt, quam vim Turci non sustinentes, signum faciendæ deditiois dederunt: & licet Bassa, Canæ Præfectus, ad divertendum nostros ab obsidione, summoperè laboraret, nullus tamen, quin Veneti arcem in arbitrium acciperent, impedire valuit.

In arce San. Theodori (cuius præsidium ad transtra traductum est:) reperta sunt tormenta bellica duodecim, in castello autem Turlulu novem, sed molis vastioris; item omnis generis arma, apparatus tormentarius ingens, annona, & id genus ad bellum facientia plura; cui loco cum deinceps Mocenigius de necessariis abundè providisset, eidem Comitem Pompeium Commendatorem præfecit.

Gesta sunt hæc Duce Leonardo Mocenigio, Domini Generalissimi Cognato, cæsis trucidatisque è commilitio Veneto non ultra 150. cum tamen Turcæ anno 1644. quo loci huius potiti fuerunt, durante obsidionis tempore, jacturam octies mille hominum passi nuncientur. Pacis tempore, & cum nemo tale quid metueret, locusque leviter saltem munitus esset, Turcæ octoginta triremium classem illi objecerunt; jam verò, ubi bello omnia perstre-

punt.

punt, & locis optimè ubique provisum est, Anno Veneti eundem duabus Galleazis, octo 1650. triremibus, & navigiis tribus recipiunt; quã & victoriam cœlitus donatam, tantò majori 1651. rem habendam esse referunt, quòd portus propugnaculi Caneæ ultra triginta triemes non admittat; sub defensione autem castri San-Theodori noviter recepti, integra turma triremium naviumque tutò agere possit: hinc ad diem 29. 19. Augusti Venetiis pro tanto successu triumphus solennis actus est.

Haut multo tempore pòst, nostri ad Sittiam Duce Provifore Cornaro non exiguam stragē passi feruntur; dùm enim numero circiter 1500. procurrunt, hostes ex insidiis oppressum, ecce per proditorem quēdam in cæcam vallem seducti, à 2000. peditibus, & 300. equitibus Turcicæ nationis circumlessi sunt, qui tanta illos clade affecerunt, ut dictus Cornarus cum paucis saltem effugere potuerit, & nostri jacturam, quã occisorum quã interceptorum, 2000. hominum passi sint: in quo infelici conflictu Turcæ Dn. Mariæ Baudero, quod jam ante graviter vulneratus esset, caput collo præciderunt, & Bassæ suo, acinacis mucroni impositum, in castris obtulerunt, quod strenuus hic quondam miles

Anno
1650.
&
1651.

miles, in diversis occasionibus Turcis non parum cladis attulisset.

Exiguo tempore ante in faustum hunc concursum, proditio quædam in Sudam detecta est, quæ inter partes convenerat; occiso loci Præfecto Diedo, munimentum Turcis tradere: cui prævertendo malo; Cornarus Generalis cum armatis populatibus 2000. eò accitrit, & cum Conjuratorum octodecim suspendio multasset, reliquum præsidium novo substituto immutavit. Hæc ex Candia Mercurius attulit.

Rerum apud Dalmatas gestarum status.

Jam ad Dalmatica gesta accessum facit: illa in Provincia Gildehasius (qui teste paginâ 89 libri prioris bello Dalmatico continuando nuper profectus erat;) Castellum - novum tribus quidem armatorum millibus nocturno tempore adoriri ausus est; at cum tertium assultum irrito conatu repetiisset non sine clade & ignominia, Spalatam recessit, suburbio dicti oppidi injectis ignibus, in quantum nescitur, devestato.

Interim seditio, quæ nuper in Bosnia suscitata, fuerat acriter continuabatur, unde Bassa ille fugâ se omninò surripuit, in cuius locum mox alius susceptus est, qui conductis 5000. equitum, & peditum 3000. signis.

gnis, in Morlachiorū stativa Vrainitsii (quæ Anno
 in petrosa quadam terra, versatili quodam 1650.
 ponte difficulter adibatur) moliri quid au- &
 sus, cum 8000. impetum fecit, quos tamen 1651.
 Morlachii insigni quadam strage edita for-
 titer represserunt. Idem Bassa cum dein-
 de Spalatum impressione tentaret, Foscu-
 lus autem Generalis dolo cognito Gilden-
 hasium cum 600. peditibus Germanicis,
 & 2. equitum cohortibus, urbem subleva-
 tum misisset, facto in suburbium quoddam
 impetu, tanto furore exceptus est, ut re ite-
 rum infecta, passus novam cladem ad Pon-
 tem di Cettinia retrocesserit.

Brevi post, in Albania provincia nostri
 Turcico cuidam Sangiaco ducentos mili-
 tes occiderunt, quinquaginta verò capti-
 vos abduxerunt, & denique castellum *Ris-
 sano*, quod Turcæ recuperatum venerant,
 subiecto pulvere diruperunt.

Præter hoc Morlachii in Dalmatia, quam
 à Venetis passi injuriam fuerant, egregie
 vindicarunt: Nam cum in distributione
 quorundam spoliiorum præteriti fuissent,
 suasque ex æquo portiones non obtinuis-
 sent, numero circiter octingenti ad Turca-
 rum partes defecerunt; qui cum postea in
 ditione Trauiana ingentem prædam corra-
 dissent, & Venetorum centum vel circiter

E

interces

Anno
1650.
&
1651.

intercepissent, Turcis eos vili pretio venderunt. Siquidem ergò mense Decembri Gildenhafius Generalis, cum legione Helvetiorum militum Zarâ Venetias retrò venerat, quare C. 13. 3. Febr. recens electus Generalis, *Lucas Franciscus Barbarus*, ex portu Veneto in Candiam; Foscarinius autem, itidem belli Dux Generalis in Dalmatiam navigavit: de cuius utriusque expeditione, felici infelici, in posterum forte aliquid notabile Mercurius referre poterit.

Maritima gesta.

Maritimum Venetorum bellum in quantum concernit, Venetiis 30. Septembr. relatum accepimus, Generalem de Riva, nuper ad Dardanellos quingentis militibus expositis, trecentos Turcas sub Orcum mississe, fossas hostium loricatas ad litus maris disiecisse, iisdemque machinas 12. eripuisse; siquidem igitur Classis Turcica ibi non perumpere, nec memorabile aliquid gerere potuerit, atque ex ea causa Constantinopolim reversa sit, quare & antedictum Generalem de Riva cum suis in Candiam regressum esse.

Apud Constantinopolim amissio munitimenti San-Theodori ministros illos graviter pungebat, adeò quidem, ut etiam Primus Vezirius ab officio deiectus perhibeatur,

beatur, surrogato quodam Catil-Bassa ali- Anno
 quot millionum divite, id quod Veneto- 1650.
 rum literis de dato 16. Septembris doceri &
 potest; qui quam primùm magnos ad fu- 1651.
 turum bellum apparatus ordinavit, & o-
 mnem cum Venetis negotiationem inter-
 dixit. Plura quidem de hac materia sub-
 jungere possem, sed cum non sint eius
 momenti, ut longam narrationem me-
 reantur hisce calamum sistam.

Ab eo tempore, quo de rebus Polonicis *Polonica-*
 postremùm retuli, regni illius status quo- *rum rerū*
 tidie ferè in peius ruere visus est, quia diffi- *perscriptio*
 dentia Polonorum erga Cosaccos & Tar-
 taros magis magisque accrescebat: è con-
 trario tractatus pacis, qui inter Poloniæ re-
 gem, & Magnum Principem Moscorum,
 longo jam tempore duraverant, felici tan-
 dem fine beati, quorum vigore inter utras-
 que partes perpetua pax constituta atque
 confirmata fuit; quamobrem quivis in
 præjudicium illius Principis editi libri, 24.
 Julii publicè cremati sunt, Legatisque Mo-
 scovicis re omni peracta solennes epulæ in-
 structæ, ita ut omni honorum genere cu-
 mulati, ad suos tandem non sine satisfa-
 ctione redierint. Hinc, cum Tartarorum
 Nuntius cognosceret, rebus sic stantibus
 nunquam se ad præfixum scopum ventu-
 rum,

Anno 1650.
&
1651. rum; quapropter & ipse à Rege dimitti petiit, & dimissionem fiducia tranquillitatis obtinuit.

Interea è finibus regni nuncia adferuntur, cum Tartari facta in Daciam, quam vulgò Valachiam dicunt, irruptione, regionem illam longè latèque diripuissent, Principem terræ V Voloskyum, cum præcipuæ existimationis viris fuga se in sylvam quandam abdidisse, antè verò Conjugem suam, liberos, ac cæteram familiam, in præmunitam quandam arcem *Niemiec*, ubi thesaurus eius asservari solet, deducendam curasse, aula sua hostibus quasi in prædam relicta. Hostes, intellecta Principis fuga, eum certo militum agmine in sylvâ adorti sunt, qui cum quinque millibus his occurrens, Tartarorum circiter quadringentos ferri acie delevit, ne de iis quid dicam, quos ad captivitatis necessitatem redegit: postquam autem reliquus Tartarorum exercitus prioribus subsidio venit, tùm demùm Principem condiciones transigendi obtulisse, in quas etiam Tartaros, auto excæcatos, facile consensos referunt, aurum quam ipsum Principem habere præoptantes. Summa, de qua inter utriusq; partis Commissarios convenit, ad 130000. Imperialium assurgit, & tantum exercitui numerari de-

ri debebat, eius autem Commissariis Anno
 10000. promissa. Aiunt 50000. Impe- 1650.
 rialium præsentis pecunia exoluta, pro reli- &
 qua autem summa obsides datos esse; quo 1651.
 facto, Tartaros cum omni præda, sine ul-
 terioribus damnis, domum rediisse. Quan-
 doquidem ergò, gerentibus talia Tartaris,
 Cosacci in confinibus hæterunt, averfuri,
 ne exercitus Polonicus Dacorum Regulo
 subsidio sit, Chmielnyckyum Cosacco-
 rum Generalem, pro sua portione Princi-
 pis filiam filio suo in matrimonium peti-
 se asserunt, nec ausum fuisse Patrem peten-
 ti eam negare; proinde inter utrosque con-
 venisse, nuptiarum solennia post novum
 annum celebrare: de quo suo tempore
 plura & certiora substituemus.

Interea inter Polonos Cosaccosque
 majorindies diffidentia: inde Chmielnic-
 kyus Legatum quendam centum equitum
 præsidio, in castra Polonica, quæ prope *Ca-*
meneciam Podoliæ oppidum hærebant, di-
 misit, questum Polonos sine urgente cau-
 sa, & solùm contra Cosaccos expeditum
 exercitum alere, idque contra expressam
 literam pactorum, petens exercitum hunc
 deduci, vel sibi ansam datum iri, ipsos in
 castris invisendi.

Facta propositione, & animo Chmiel-

Anno
1650.
&
1651.

70

Mercurij Gallobelgici

nickii cognito, militiae Polonicae Imperator legatum hunc mensē adhibuit, qui strenuum adeò se gessit, ut ingentem cantharum vino sublimato plenum, pro salute Regis cuiusdam Polono præbire non dubitavit, eundemque non absque adstantium stupore ad guttulam ficcârit.

Sumpto atque peracto convivio, Podockyus Legato talem in modum respondit: *Coronam Polonia castra haec nequaquam adversus Cosaccos instruxisse, verum ideò ad arma sibi confugiendum fuisse, quòd omnes vicinos suos exercitus formidabiles sub signis alere viderent: & quoniam Regis jussu locum hunc castris dispexerit, non sibi equum fore, eodem non mandante, ex iis discedere vel alio transferre: ne tamen causa publica deesse videatur, Cosaccorum petita se ad Regem perscripturum esse, eiusdemq; animum de superintellecturum: Quòd si verò Chmielnickius impatientia victus, usque dum Regis responsum allatum fuerit, expectare non possit, sed Polonos in castris, ut minatur, invisere maluerit, adventum suum saltem ad 3. vel 4. milliaria significandum curet, & se ipsi occursurum eo modo, quo venturum viderit.*

Ferebantur interea Regis mandata Polonorum atq; Lithuanorum Generalibus, ut castra propiùs conjungerent, exercitumque

que Cosaccorum ab utroque latere strin- Anno
gerent; id quod ubi Chmielnickyo subo- 1650.
luit, insidias sibi strui imaginatus, castra &
movit, atque eadem ultra Borysthenem 1651.
transtulit.

Ajunt hoc in causa fuisse, cur brevi post
Chmielnickys, suo & Tartarorum nomi-
ne, septem Deputatos ad Regem Polo-
niæ ablegarit, partim exercitum regium à
finibus deductum, partim etiam per obsi-
des Polonicos cautum, ne instanti hieme
Cosaccorum vicinus exercitus à Polonis
quidquam detrimenti capiat: venisse au-
tem antedictos Legatos in castra Polonica
apud Camieniã Podoliæ, eo ipso tempo-
re, quo Potockyus, summus belli mode-
rator, exercitum regium in hyberna dimit-
tere cœperat; unde Legatos Cosacco-
rum ad ipsum Regem remisisse, ut coram
illo commissa negotia expedirent.

Post adventum ap. regē, legationis pri-
marium Chmielnickii literas Regi summa
reverentia, & genib. quidē flexis tradidisse,
eundemque exercitus Cosaccorum Caput
agnovisse, demissè orando, Regia sua Ma-
jestas, pacta Zboroviæ conclusa per septem
personas (inter quas Coronæ uterq; Gene-
ralis, & Princeps Wisneweckius essent)
juramento munienda curet, & ut Cosaccis

Anno
1650.
&
1651.

72

Mercurii Gallobelgici

pro securitate, nihil illos sinistri hyberno tempore à Polonis experturos esse, duo militum tribuni equestres in obsides dentur.

Distulit verò Rex responsum ad eiusmodi petita in finem futurorum regni Comitiorum, quorum initium quinta Decembris, exitus 24. eiusdem fuit, & decreta feruntur sequentia capita.

I. *Nomine Coronæ Poloniae proximè Commissarij ad Cossacos dimittantur, qui illis certas conditiones vel ad pacem firmiter servandam, proponant, vel si nolint, bellum denuntient.*

II. *Constitutum est omnium assensu, exercitum 36000. militum extraneorum conscribere, eique sustentando singulis anni quadrantibus 6. Poboras adnumerare.*

III. *Vocatio ad arma generalis, usque ad futura Comitia, libera Regis dispositioni relinquitur.*

IV. *Scoti per universum Poloniae regnū pro centum unum contribuunt; non obstante quod Porussi pretenderint, hoc in sua Iurisdictionis civitatibus procedere non posse; quibus responsum est, Etsi quidem Constitutio hac nemini non nota sit, nihilominus hanc Contributionem universaliter exactum iri, & exigi debere.*

V. *Regis*

V Regi à Mercatoribus honorarij mu- Anno
neris nomine promissa sunt circiter centum & 1650.
viginti florenorum millia. &

VI. Hebrais Iudæisve summa 70000. 1651.
florenorum vel circiter decreta est: quamvis
alii arbitrabantur, magis Regi proficuum fo-
re, à quovis apellarum certum à se exigi.

VII. Dacia sive Valachia Palatino,
(quem vulgò HOSPODAR appellant:)
& duobus Cosaccis, propterea quòd de Coro-
na Poloniæ optimè essent meriti, Ius Indigena-
tus collatum est; Hubaldio autem Generali,
& vigilum Prefecto Giesenio negatum.

VIII. De Moneta in futuris Comitibus
certi aliquid decernitur.

Præterea, Clerus etiam in regni defen-
sionem insignem vim auri se contribu-
rum obtulit. Cracoviensibus autem quæ-
vis privilegia securitatis confirmata sunt,
in primis ut Nobili, quæ talis, ad Tribunal
provocare licitum; civi autem vel colo-
no idem facere prohibitum esset. Hæc ita-
que Comitibus dicta die 24. Decembris, cir-
citer sextam vespertinam omninò expira-
runt, ubi sessio postrema (quod nunquam
factum perhibent:) integras triginta duas
horas perduravit.

Quamprimùm igitur rumor ad Chmiel-
nickii aures perlatus fuit, in Comitibus hisce

Anno
1650.
&
1651.

Polonicis arma decreta esse, missis sine mora, cursorib. Turcicis Bassis, Muphtis Tartaricis, Principi Transsylvaniæ & aliis suis Confœderatis, id significati mandavit, petens ut ferente necessitatis casu sibi auxilio atque subsidio essent. Ferunt etiam, literas Chmielnickii interceptas esse, quibus detectum est, gentes has barbaras, monstrosas ac periculosissimas machinationes contra Poloniæ Coronam, & alios Christiani nominis Principes fovere; quas si Superum permissu ad effectum deduci contingat, procul dubio Poloniam ac Germaniam funesto bello concussam iri. Nihilominus tamen, vigore antedicti Recessus Comitiorum, certi quidam Commissarii ad Chmielnickyum ablegati sunt, qui ipsum hortentur, ne nominis sui famam iniquissimis eiusmodi confœderationibus minuat, sed potius, pactis firmiter inhærendo, immortale nomen acquirere studeat. In quamcunque autem partem inclinaverit Chmielnickyus, certum est, Polonos interea rebus suis cautè provisuros esse; apud quos constitutum erat, ad formandum exercitum formidabilem, omnes vires intendere, & si contingat, Commissarios re infecta redire, universos, quibus incumbit, ad arma vocare. Qua in re
quid

quid successerit, sequenti libro tertio fide- Anno
liter perscribam. 1650.

Apud Anglos, Scotos & Hybernos, non &
minor rerum intricatus status fuit. Lon- 1651.
dini, dùm Parlamentarii vario supplicio- Res An-
rum genere in regii nominis cultores & ul- glica, Sco-
tores lævire non desinunt, eiusdem militiæ tica atque
Archistrategus, Oliverius Cromvellus, Hyberna-
miles sanè cautissimus & astutissimus, Sco- ca.
tos insigni victoria privat, die 3. 13. Sept.
ad Dunbarium oppidum. Occubuerunt
in cruenta hac pugna ex Scotico commili-
tio tria vel quatuor hominum millia. Inter
Captivos (quorum summatim ultra
10000. fuisse nunciantur :) fuit Locum-
tenens Generalis peditatus, *Sir James Lom-
seelius, Eques*, qui, ad procurandam anno-
nam pro captivis, data fide liber dimissus
est. Ex catervis Scoticis, plerique Præfe-
cti vel trucidati vel capti sunt; horum præ-
cipui erant, Colonelli 4. Protribuni 11. Vi-
gilum Magistri 9. Centuriones sive Capi-
tanei 47. Pro-Capitanei 6. Vicarii 71. Si-
gniferi equestres 11. meratores 24. vexilli-
geri 39. Erepta sunt signa militaria quæ pe-
ditum quæ equitum, plus ducenta; tor-
menta bellica 32. cum multa omnivaria
armatura.

Accidit cruenta hæc clades, uti suprâ in-
nuimus,

Anno
1650.
&
1651.

nuimus, 3. 13. Septembr. prope Copper-
settum in Scotia, inter Hadingtonum &
Dunbarium, cum in Scotorum exercitu
numerarentur equitum sex, peditum sede-
cim millia; Angli autem nonnisi 3500. e-
quites, pedites verò 7500. haberent, reli-
quis ob exantlatos varios labores, & tole-
ratas multiplices cæli injurias, ne de fame
& siti quid dicam, ad bellum jam inutili-
bus: in quo ferventissimo prælio, Scoti
symboli loco habebant voculam *Conve-
nant*, Angli autem **DOMINUS ZEBA-
OTH NOBISCUM.**

Certis quibusdam literis Cromwellius
Generalis, ad Parlamentum exeratis Dun-
bari 4. 14. Septembr. insinuat, non existi-
mare se, vel viginti in exercitu suo deside-
rari; nec audiri pro tempore, quemquam
officiarios occubuisse alium, quàm si-
gniferum equestrem unum, & vigillum
Præfectum Rocksbyjum, qui jam nunc ex
acceptis vulneribus animam efflavit.

Expugnæ loco Parlamenti exercitus E-
denburgam & Lietham versus progressus
est, quas utrasque urbes, præter castellum,
Angli suæ potestatis fecerunt, easque suffi-
cienti præsidio communierunt. Crom-
wellius, qui in expugnando Castello E-
denburgensi tempus frustra terendum non
putabat,

putabat, ad invadendum Sterlingiam ex- Anno
ercitum præmittit; sed cum cognovisset, 1650.
urbem hanc non solum amplum præsidium &
alere, verum & potioem castrorum Sco- 1651.
ticorum vim illis in partibus adhuc hæere,
non consultum fore duxit, hic loci aleam
bellitentare, ideoque legiones ad priores
suas stationes reverti iussæ; Rex autem
tunc in insula *San-lons-Toune*, ut vulgò
appellant, commorans, quidquid ad con-
servandam Sterlingiam facere posse cre-
debat, sollicitè procuravit.

Quandoquidem verò Edenburgum;
urbs quidem, absque castello, Parlamen-
tariis parùm prodesse poterat, Cromvel-
lius cuniculis illud, aliisque violentis mo-
dis oppugnandum ordinavit, quibus illius
Præfectus Dundassius, eò angustiarum re-
ductus est, ut sublato, quod exposuerat,
rubro vexillo, candidum substitueret; quo
vito, Cromwellius vigillum quendam Præ-
fectum ad Governatorem dimisit, co-
gnitum, utrum arcem dedere, vel neglectâ
occasione vitæ bonorumque aleam subire
mallet.

Lord Dundassius, cuius fidei commissa
erat loci defensio, intellectâ Cromwellii
mente, petiit, liceret sibi quendam ex Of-
ficialiis suis Sterlingiam amandare, peti-
tum

Anno
1650.
&
1651.

tum auxilia, promittens, nisi constituto tempore illa ad futura fuerint, arcem se certis conditionibus in manus Cromwellii consignaturum. Cùm responderetur, fieri nequaquam posse, quod petierat, ad paciscendum animum adplicuit, Capitulatione in hunc modum facta: Castelli Gubernator, & quod adjunctum habet præsidium, 3 Januarij, cum sarcinis & impedimentis, signis explicatis, globis ori ingestis, fumantibus funiculis, & more inter milites consuetò, loco cederet; machinas autem numero 54. item arma armandis decem militum millibus sufficientia, unà cum omni apparatu tormentario, & bonis securitatis ergò in arcem comportatis, salva omnia & illæsa relinqueret. Et his quidem conditionibus Præfectus acquiescere debuit. Hæc de Scotia.

Pulchrè etiam fortuna Parlamentariis in Hibernia favit. Cesserunt ibi eorum arbitrio tria magni momenti loca, *Charlemon-tium, Waterfortū & Duncannonium*, cum quibusdam aliis levioribus, etsi nonnunquam victoria magno constiterit. Et licet de reb. Anglicis, Scoticis & Hybernicis relationem longè ampliorem instituere possimus, cum tamen gesta habeamus narratu digniora, quare præteritis illis, horum narrationi calamus ulterius stringemus.

Hoc

Hoc anno apud Sinenses seu Chinen- Anno
 les, (de quibus doctiss. Lansius Consultat. 1650.
 I. pag. 3. refert, quod reliquos mortales o- &
 mnes, tanquam rudes, inertes, barbaros, 1651.
 alto arrogantique supercilio despiciant; se- Res qua-
 se verò suaque omnia, magnificè prædi- dā extra
 cent, & exquisitis laudibus gloriosè profe- bellum
 quantur; usurpato inter illas gentes invi- gesta, à
 diofo nimis & percelebri dictorio, Chinen- nundinis
 ses duos habere oculos; Europeos unum tan- autumnā-
 tum, & quod hominum reliquum sit, cecuti- libus anni
 re:) regni Orientis amplissimi incolas, fides 1650 usq;
 nostra Christiana, vera & orthodoxa, pu- ad verna-
 blicè docebatur, idque tam in provinciis les anni
 regis, quàm etiam illis, quas Tartari occu- 1651.
 parunt: ferturque literis Lysabonæ 15. Au-
 gusti datis, Reginam, cum multis regni pri-
 matibus, sacro baptismatis lavacro abluen-
 dam se dedisse.

II. 29. Augusti, navis quædam bellica
 Parlamenti Londinensis, cui nomen erat
Warvicius Constans, cum quodam vastæ
 molis navigio, quod pro Rege Lusitaniæ
 ingenti auro onustum ex Indiis Orientali-
 bus venerat, congressa, post quinque ho-
 rarum accerrimum conflictum ex tormen-
 tis, mari tandem immergit, pereuntibus in
 aquis, qui illud defendebant, ferè ducentis,
 excepto Capitaneo cum aliis duodecim,
 qui

Anno
1650.
&
1651.

qui natandi peritiam salvi evaserunt. Fama est, infelici hoc navigio, præter cæteras pretiosissimas merces, sola centum milia librarum argenteæ supellectilis in mari absorpta esse.

III. Belgarum literis 8. 18. Septembris perscriptum accepimus, præsidium Gallicum munimenti Bassæani, Clerum civitatis Rysseliæ sive Insularum, dum agros lustratum divagatur, ex improvise adortum esse, & cum omnibus signis, vexillis, ac imaginibus Christi crucifixi, captivum abduxisse, lytri nomine centum florenorum millibus exolutis.

IV. ☉ 18. 8 anted. mens. Brunneæ Marcomannorum Patres Soc. Jes. in honorem Comitis VVallensteinij eiusque Sponsæ, actum quendam Comicum de Abrahamo, & filii eius Isaaci immolatione, exhibere instituerant: dum itaque, ad cremandum holocaustum, ex præcella quadam turri ignitum telum dimittitur, aliud verò illuc adscendit, ecce prius dimissum illud tanto impetu provolvitur, ut impactum ad asserem omni vehementia, stantis post illum pectus cuiusdam Patris Jesuitæ feriret, unde illicò mortuus corruit: quem tragicum casum nihilominus, donec omnis actio finita, & ne spectatores turbarentur;

rentur, suppressum esse, literis Brunnae 23. Anno
Sept. exaratis edocti sumus. 1650.

V. Eodem ferè tempore anni, Reli- &
giosissimus Imperator noster, FERDINANDUS TERTIUS, in Nobili 1651.
Bohemorum metropole Praga, & quidem
in medio foro veteris urbis, marmoream
columnam 10¹/₂. cubitos altam, cum Ima-
gine Beatæ Mariæ S. V. . . . cubitorum ex
metallo, quæ 70. Centenaria pondera mo-
le sua exæquare dicitur; in ponte autem
Crucem cum Salvatoris nostri effigie ma-
gni valoris, publicè erigi fecit.

VI. In eadem urbe Praga, ad diem C
21. 31. Octobr. rarus quidam casus acci-
dit: Conjuraverant ex legione Waldste-
niana præfidiaria centum circiter commili-
tones, qui deinde conventionem facta, & si-
gno ad rem inchoandam edito, in Hebræos
strictis gladiis ab utroque latere irruerunt,
ubi merces suas exponere semper consue-
verunt, auferendo & diripiendo, quantum
cuilibet fortuna seu casus ex argentea su-
pellectile, pecunia, linteo & panno obtu-
lerat.

VII. Mortuo Electore Coloniense
Ferdinando 3. 13. Septembr. unanimi Ca-
pitularium consensu ei successit Maximi-
lianus Henricus, itidem Bavarix Dux; Co-
loniæ

Anno 1650. & 1651. Ionia Agrippinæ consuetis solennitatibus inauguratus, ☿ 16. Octobr.

II X. Matrimonium, inter Celsissimos Principes, Christianum & Mauritium, fratres Germanos, serenissimi Electoris Saxonie filios, contractum cum Christiana & Sophia Hedewige, sororibus Germanis, Slesvici & Holsatiæ Ducibus, mense Novembri sollemnissimo copulationis ritu peractum est, Dresdæ. Mererentur verò ludi Circenses, choreæ & ignes artificio-festivi, qui peculiari quodam libello consignarentur; sed cum majores sint, quam Relationis huius angustia, & temporis, quod ad describendum nobis super est, brevitatis capiant, satius esse duximus, silentio illos præterire, quàm eorum honori quidquam temerè derogare.

IX. Ad eundem ferè modum, *Principi* post Patrem *Electori Ferdinando*, Duci *Barvaria*, novo matrimonij, fœdere juncta est, *Adelheida*, Sabaudia Dux, Sponsi vices sustinente Sponsæ Germano fratre, Duce Sabaudia, undecima Decembris, Augustæ Taurinorum. Sponsam domum deductam Monachio venerat Serenissimi Bavaria Septemviri Legatus Extraordinarius, Maximilianus Comes Curtius, octoginta aulicorum prænobili famulatio stipatus, quos
inter

Inter Comites quatuor, Barones quinque
fuerunt. Eum Praefectus munimenti (cui
aderant Comites, Nuntius Apostolicus,
loci Archiepiscopus, & Legatus Gallicus:) Anno
quingentis equis, & cohorte Helvetiorum 1650.
praetoria pedestri, in urbem introduxit, cre- &
pantibus interea tormentis, quae tum in ci- 1651.
vitate tum arce hoc fine disposita stete-
runt: quibus etiam peditum sclopeta non
ingrato fragore ad sonuere. Peracto co-
pulationis ritu, ad nuptiales epulas itum
est: secuti sunt ludi omnivarii, qui peculia-
ri descriptione digni essent, quibus non si-
ne ingenti convivarum nuptialium hilari-
tate peractis, duodecima eiusdem Instru-
mentum super contracto matrimonio co-
scriptum, per utrumque Ducem, nomine
autem Electoris Bavariae, per ante dictum
Comitem Curtium subsignatum est. Mu-
nera nuptialia Bavari trecenta millia flore-
norum, ut quidem Monachio relatum est,
pretio exaequant, inter quae Pharmacothe-
ca domestica ex auro & argento, forma
cucurbitae, & longitudine viri staturam ex-
cedente.

X. Lunae 4. 14. Novembr. intra 8. &
9. vespertinam, Hagae Comitum Principis
Auriaci, Guilielmi relicta vidua, Caroli
Primi Regis Angliae, nuper trucidati, filia,

Anno
1650.
&
1651.

bello puello mater facta est, id quod dolore ex parentis præmature obitu conceptum nonnihil suppressit: ob quem secundum partum æramentorum pulsu, machinarum disposure & pyrobolorum incendiis solenniter triumphum fuit. Sacro fonte ablutus est, ad diem Solis s. 15. Jan. eique nomen **GUILLIELMUS HENRICUS** inditum, quem Regina Bohemæ, Princeps Auriaca, defunctæ mater, in specie autem confœderati Belgii Ordines, Hollandiæ, ac civitates Amstelodamum, Lugdunum Batavorum & Delphi, ex salutari hoc lavacro susceperunt.

XI. In vigilia Divi Martini, Ducis Augusti filius natus maximus, Guelpheroyti nuptias celebravit cum Principe quadam Barryana, id quod in tanto silentio peractum est, ut ipsis etiam civibus de hæc re nihil suboluerit.

XII. Sub idem tempus Augustanos rum Evangelicorum Deputati, itinere feliciter confecto, in patriam remeabant, cum ad restaurandum utrumque templum destructum, à Rege Daniæ 2000. à Regina Sueciæ totidem, à Duce Holsatiæ mille Imperiales, alibi etiam locorum honesta munera ad pios usus accepissent, sumptibus ubique liberrimè suppeditatis.

XIII. Mense

XIII. Mense Decembri Hagæ-Co. Anno
miris solarium maius peristromatis magni- 1650.
ficè exornatum, omni sui parte panno vi- &
ridi splenduit, ad celebrandum inibi con- 1651.
ventum quorumvis provinciarum fæde-
ratarum Ordinum, qua ratione in poste-
rum regimen (ut ferebant quidem) insti-
tuendum sit; utrum magis consultum fue-
rit, certo cuidam Gubernatori vel Genera-
li illud committere, vel sine eo per solos
Deputatos rem quoad militiam & poli-
tiam administrari; quid autem in hoc ne-
gotio futurum sit, eventus suo tempore
aperiet.

XIV. Diæta, quam Circuli Rhenani
Status, volentibus ita S. Rom. Imp septem-
viris, in nobili hoc Francofurto instituerât,
suum quoque successum habuit, ubi con-
gregati Domini Commissarii, in rem præ-
sentem non parum operæ locare visi sunt;
quum verò mediis sæpius tentatis amica-
bilibus nullus locus habitus, quin potius
vicina circum præsidia à tributorum exa-
ctionibus, excursionibus, populationibus
molestationibusque non abstinebant, &
nemo non metuebat, ne miles in his parti-
bus in hiberna dimittatur, utique necesse
erat, ne tale quid fiat, in tempore cavere. Et
licet speraretur, Status Circuli Rhenani su-
F 3 perioris,

Anno
1650.
&
1651.

perioris, quod quidem per hîc præsentesa-
micè moniti fuerant, ultra oblatos in futu-
ram defensionem bis mille milites, aliquid
amplius addituros esse, nullo tamen modo
eiusmodi quid illis adhuc persuaderi po-
tuit, etsi intelligimus, quemlibet Statum
suum ex æquo fecisse, unde communi ru-
more ferebatur, ferente casu necessitatis,
violatoribus pacis exercitum 6000. mili-
tum vel circiter objectum iri.

XV. Hîc loci præterire non possumus,
quin veritatis patrocinium suscipiamus.
Notum procul dubio est gratioſo & bene-
volo Domino lectori, in hebdomadaria
illa Relatione Colonienſium, publicata
6. Januarii, mala fide mundo exſcriptum
eſſe, apud Tremoniam VVestphalorum
civitatis illius Evangelico-Lutheranæ pu-
bem Scholaſticam cœnobium Dominica-
norum, & ſimul etiam ipſum templum,
continuo lapidum ſaxorumque aſſultu
hoſtium inſtar ab omni parte invaſiſſe, tan-
tâ quidem vehementia, ut Patres illi & cæ-
teri religioſi compulſi fuerint, relictis &
templo & ſacris exercitiis, ad interiora mo-
naſterii ſe recipere. Confirmat non ſolùm
has nugas alia Antverpienſium relatio, die
10. Januarii edita, ſed addit etiam, res inul-
tas monachis illis è templo, cellis & biblio-
thecis

thecis ablatas fuisse, Patribus Fratribusque Anno
hac illac latibula quæsitantibus. Quam 1650.
à se suam in injuriam remorum, inclytus &
eius loci Senatus literis ad nos datis sum- 1651.
moperè & amicè rogavit, ne testimonio
nostro eius innocentia deessemus, coram
Deo & universo mundo protestatus, pu-
tum hoc purumque, & ab hominibus o-
tiosis malevolisque excogitatum menda-
cium esse, cuius ut authorem reperiat, & in
reperitum debito modo animadvertat,
maximoperè laborari.

XVI. Denique verò, ad diem Martis
25. Febr. anni huius 1651. & quidem post
meridiem, intra quartam & quintam, cælo
admodum ninguido Celsissimus Princeps
ac Dominus, Dominus Ludovicus Sextus,
Hassia Landgravius, &c. confecto Gottor-
fi feliciter matrimonii actu, cum Celsis-
sima etiam Principe, Maria Elisabetha,
Celsissimi Principis ac Domini, Domini
Friderici, hæreditarii Norvvegiæ, Ducis
Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Ditmar-
sorum, Comitum in Oldenburg & Delmen-
horst, filia, Cassellis veniens in nostram
hanc urbem pomposum admodum introi-
tum habuit, per portam novam vico Frid-
bergensi & platea recta, in aulam Darm-
stadinam, quæ ibi est, deductus. Ordieban-
F 4 cur

Anno
1650.
&
1651.

tur comitatum Principis, amplissimi huius
Senatus Domini Deputati, cum duobus e-
quitum qua civium quâ mercatorum tur-
mis, splendide exornatis: secuti sunt tubi-
cines & æneator, vestibus tesserariis con-
spicui, qui festivum concentum edebant.
Post hos incedebat Principis equitatus ex
aulicis ministris: dein Princeps, generoso
vectus equo solus, chlamyde Attalica con-
spicuus; à tergo huius, carpentum Princi-
pis, novellæ Conjugis, artificiosissime fa-
ctum, & holoserico rubro undique obdu-
ctum, cui juncti erant equi sejuges, pretio-
sissimis phaleris exornati, & in quo virago
sola vehebatur, bella admodum & visu fa-
cilis. Sunt, qui carpentum illud, cum per-
tinentibus, sex Imperialium millibus vix
comparatum asserunt, ea enim sanè formâ
apparuit, ut quosvis spectantium oculos in
se raperet. Proximè successit Gynæceum,
curribus aliquot pensilibus vectum, & de-
mum impedimenta. Mugierunt verò tor-
menta, ubi Princeps portis adpropinqua-
vit, quem intra urbis pomeria receptum,
cives in armis excubantes ad aulam Darm-
stadinam, quæ est in via recta (vulgò *auff-
der Zeil* :) deduci viderunt.

Hic loci ubi pernoctatum est, & Princi-
pi amplissimi Senatus nomine consueta
munera

munera tradita fuerunt, altero die intra Anno
 10. & II. discessum est, itinere per pla- 1650.
 team vectoriam & pontem Darmsta- &
 dium continuato: comitatu tum ite- 1651.
 rum adfuerunt, tres civitatis Francofurt,
 Domini Deputati, cum duobus eivdem
 tubicinibus seu satellitibus, quos reliquus
 equitatus, tribus turmis honorabilis, cer-
 to viae spatio ante portam à sinis dictum
 secutus est, civibus denuò in armis adstien-
 tibus, & machinis ternaria vice displois.

Eodem die Mercurii novelli hi Conju-
 ges Darmstatinam aulam secundo itinere
 affecuti sunt, quibus nobilissimus quadrin-
 gentorum vel circiter aulicorum aliorum-
 ve ministrorum equitatus, aliquo ab oppi-
 do intervallo obviam venit, atque omnem
 hanc longissimam seriem, inter harmo-
 nicos tubarum tympanorumque strepi-
 tus, & tormentorum fragores, in urbem
 deduxit: ubi deinde aliquot dies variis re-
 creationibus aulicis, venationibus, salta-
 tionibus, ignium artificialium succensio-
 nibus, & id genus aliis ludicris exacti sunt.
 Et tantum etiam de hoc titulo.

Per scribam in sequenti narratione casus *Casus*
 aliquot tragicos, res dubias, portentosa & mi- *gici, & a-*
 racula, quæ hoc semestri passim in orbe ac- *lia sinistra*
 ciderunt.

F s

Die

Anno
1650.
&
1651.

Die 19. 29. Augusti, Avennionē in Venaxino Galliarum Comitatu, circiter decimam noctis horrendus quidam tonitrus munimentum Sancti Martini corripuit, dum turris quædam, in qua circiter quadringenti cadi pulveris nitrati asservabantur, fulmine tacta perit, unde universum munimentum, cum vicino templo & omnibus quatuor turribus ad eò in ruderā corruerunt, ut ne minimum quidem vestigium, ubi turris steterat, apparuerit.

II. Mercurii 4. 14. Septembr. Mechliniæ in Brabantia singulare quoddam infortunium accidit: nam post meridiem ejus diei turris illa, in qua ignes artificiales confici assueverunt, concepta subito flamma in auram excussa est. Perierunt in hoc repentino casu Magister seu confector ejusmodi telorum incendiariorum, cum duobus ejus filiis, mater, filiolum suum brachio insidentem habens, cum famulis aliquot, personarum numero circiter octo vel novem.

III. Mense Septembri, & quidem sextâ illius, territorium Basileense vehemens quædam procella, cui grando adjuncta erat, afflixit, cuius ingentissima vi & impetu complures arbores terra prostratæ sunt, & grando juglandium magnitudine
caelo

cælo delapsa. Tempestatē hanc altero die Anno
Mercurij secutus est horrendus terræmo- 1650
tus, ex quo ædes turresque vehementer &
concussæ sunt, & non pauca infumibula in 1651.
rūdera subsederunt.

I V. Similiter hoc eodem mense in
Angliæ provincia Pembroccana, procella
quadam extraordinaria, fulmen, tonitrus
& grando læviit, in qua lapides deciderunt,
variis formis & figuris notabiles, cuiusmodi
nemini ab hominū memoria visi feruntur.

V Exiguo tempore pòst, maris Ægæi
insulam *Santoriniam* (quam alii *Saturni-*
nam appellant:) damnosus quoque terræ
motus concussit, tanta mox tempestate &
graveolentia sequente, ut naves quædam
ruptis ancoris mari immerlæ fuerint. Fe-
runt, ex graveolentia hac aërem adeò cor-
ruptum esse, unde multi hominum repen-
tina morte perierint, & ingens pisciū mul-
tudo aquis mortua innatarit. Vasa cu-
prea & argentea eius vicinix rubiginem
contraxisse visa sunt, pictæque templorum
tabulæ mutationem colorum adsciverunt,
& vastum illud flumen *Arminio* corruptis
fontibus ubique siccatum substitit.

VI. Calendis Novembr. nov. st. cum
quib. festum Omnium Sanctorum coinci-
dit, Pisis, quod est nobile Tuscorum op-
pidum,

Anno
1650.
&
1651.

pidum, Patres Dominicani damno vix reparabili memorantur affecti, dùm repentinum quoddam incendium illa die Monasterium illud cum templo corripuit, unde Conventus ille triginta millium Coronatorum jacturam passus scribitur.

VII. Koblinio Polonorum literis 19. Octobris relatum accepimus, una circiter septimana antè, illa in vicinia per indefinentem imbrium pluviarumque defluxum, & quidem duabus vicibus, tantam aquarum inundationem fuisse, unde non contemnendus & hominum & pecorum numerus, horrendo damno, & complurium oppidulorum, pagorum prædiorumque nobilium interitu, perierint; & cum præterea messis tempore jam instante, diversa flumina redundarint, ingentem Cæteri calamitatem illatam esse, viasque regias tantum damni accepisse, ut iter facientibus, quasi in novo aliquo mundo, novæ atque incognitæ viæ quærendæ fuerint.

IX. Mense Novembri, Halberstadii ex igne, quo linum torreret siccarive debebat, negligentius custodito, funestum incendium ortum est, quod in primaria eius civitatis platea centum & viginti optimas ædes in cinerem redegit, damno, quod inde contractum fertur, ad aliquot auri tonnas assurgente.

IX. Cir-

IX. Circa Basileam tùm fortè duo i- Anno
terum terræmotus depræhensi, & molæ 1650.
aquariæ Brisacensium, ruptis funibus cum &
navibus & lapidibus profundo Rheno sub- 1651.
mersæ perierunt! in Albi verò navigia duo
hausta sunt, vectorum quatuordecim inter
fluctus perentibus.

X. Neapoli, ex continuatis pluviis æ-
quæ tantâ altitudine intumuerunt, unde
hominum multi suffocati, certæ quædam
ædes dirutæ, ex aliis suppellectilia in publi-
cas plateas promanarunt, Patres Jesuitæ tri-
ginta sex vini cadorum in cella corrupto-
rum, jacturam fecerunt, & delubrum unū
prope montem terra coniectum est.

XI. Porro eodem quoque mense E-
denburgi, quod est Scotiæ totius metropo-
lis, palatium Regis repentino incendio cō-
flagavit, quod universi regni magnificen-
tissimum fuisse perhibetur.

XII. Idem infortūnij & Gallorum
domum, rebus tormentariis custodiendis
destinatam, corripuit Dunkerkæ, ubi præ-
ter amplam nitrati pulveris copiam, ter-
mille vel circiter pilæ ignivomæ, quæ ma-
jores quæ minores, quæ ibi in quemvis e-
ventum asservabantur, in aërem evola-
runt, id quod tam ædibus quàm homini-
bus

Anno 1650. bus in sine damnum attulit, & vallum non
 & 1651. exigua sui parte laceravit.

XIII. Ad diem 27. Movembr. apud
 Leodienses noctu milites novem ex ea
 causa in furcam acti sunt, quod rebellio-
 nem præmeditati, ad miniculo compli-
 cum suorum porta Mosellana superiore
 potiri conspiraverant.

XIV. Literæ Viennensium septima
 Decembr. datæ nunciant, proximis diebus
 hospitem ad insignia stellæ aureæ in Ros-
 sau, irâ commotum, unicum filium suum
 jam adultum, frusto panis, quam tertiam
 integri partem fuisse referunt, lateri in eus-
 so, vita privasse.

XV. Feria Sancti-Stephani Proto-
 martyris, id est, 26. 16. Decembr. à 9. ad 10.
 apud Viennenses tres soles in cælo obser-
 vati sunt, quos pellucidus quidam circulus
 seu arcus ambiit.

XVI. Dictu verò nefandum est, quan-
 tum calamitatis, damni ac miseræ, hoc &
 secuto mense Januario diversorum ma-
 gnorum fluviorum exundationes ubi vis
 terrarum dederint, quorum saltem aliquot
 præsentî historiæ inseremus.

Danubius (qui Sallustio teste, omnium,
 quotquot præter Nilum in Pontum Euxi-
 num sese exonerant, fluviorum maximus
 est:)

est:) in tantum excreverat, ut prope Tul- Anno
 nam, haut procul ab Imperatoris sede 1650.
 Vienna, octo ædeis abluerit, atque ab ex- &
 tremo Viennensium ponte fornices duos 1651.
 avulserit. Legati Turcici culina aquis ad eò
 repleta erat, ut nulli usui ad coquendum es-
 se potuerit. Ad Ratisponam complures
 pagi, campi latissimi, imò in urbe ipsa quæ-
 que civium ædes, in profundiore civitatis
 parte sedentes, unà cum telonio, horreis
 item, vino atque Sali recondendo factis,
 tum quoque quibusvis molis saltem non
 aquis obrutæ sunt; unde in nonnullis lo-
 cis forium usus ad fenestras transiit; ruri-
 colarum autem alii ad tecta, alii in arbores
 sese receperunt, quibus victus, & alia vitæ
 necessaria lintribus subvecta.

Post tanti diluvii defluxum, quantum
 ab anno 1595. illis quidem in partibus non
 fuisse fama est, deprehendi non sine horro-
 re potuit, quam ingens pecorum omniva-
 riorum copia in aquis perierit, & hominū
 non pauci, qui in tectis & arborib. salutem
 quæsierant, frigore & fame tabuerint, si-
 quidem nemo alteri, nisi cum manifesto
 vitæ periculo, succurrere potuit.

Lipsiensium quoque literis certiores su-
 mus, apud Dresdenses omne illud subur-
 bium fluctibus aquarum undiq; obseptum
 fuisse,

Anno
1650.
&
1651.

98

Mercurij Gallobelgici

fuisse, idque ex fluminis *Albis* horrida exundatione, cuius vehementia intra *Moreschuziam* & *Muhlbergam*, aliquot pagi oppressi sunt, certis quibusdam tuguriis unâ cum habitatoribus pecoribusq; suppressis. Idem mali & *Salæ* fluminis redundatio prope *Jenam* intulit, & *Unstruta* limites suos ad eò egressus est, ut nemini per aliquot dies transitus patuerit; cuiusmodi aquarum calamitas *Silesiam* quoque non levibus damnis affecit.

Pragæ Bohemorum metropole, *Mulda* sive *Muldavus* ea vastitate assurrexit, quantum nullius hominis memoriâ accidisse perhibent, unde octidui spatium nullus molendinorum usus esse potuit; glacies autem eadem, ædesque fluvio adfidentes, ac pontes vehementer afflixit.

Simile quid de *Mosa* *Mosella*que refertur: in primis autem notatum dignum est, quod de *Rheni* exundatione traditum accepimus, inde enim non solum *Argentoratensium* munitionibus, *Francothaliæ* *Moguntia*que gravia damna illata, quin etiam *Keylerswerthæ* & *Düsseldorfii* partem urbis cum multis habitatoribus pessumivisse, fama loquitur. Adhæc, idem hic fluvius supra *Coloniam Agrippinam* certas quadam sandapilas, partim lapideas partim

partim plumbeas, cineribus veterum Ro- Anno
manorum oppletas, terra eruit, quas sanè 1650.
nemo sine stupore & extrema admiratione &
adspexit. 1651.

Saona, & alia Franciæ flumina, quantum
Parisiensibus, & cæteris eius regni incolis
passim nocuerint: item, quantum damni
Tybris Romæ & vicinis provinciis dederit,
latius est, quam ut hîc describi possit. In-
credibile autem est auditu, quod Amstelod-
damenses literis 4. Martij retulerunt, asse-
rentes intra diem Saturni & Solis proximè
præterlapsum, vento quodam vehemen-
tissimo septentrionali, lacum Edamen-
sium duobus in locis, in primis autem se-
mihorulæ unius digressu ab hac urbe, ver-
sus mare Danarum, fœdè ruptum esse, un-
dè non solùm Amstelodamum, sed etiam
universa Hollandia, Seelandia & Frisia O-
rientalis, aquarum damnosissimam inun-
dationem passa sit, adedò quidem ut incolæ
bona mercesve suas ex horreis ad tuta ex-
portare nō potuerint, aquarum nempe ra-
piditate præpediti, feruntque damnum
inde quovis modo contractum, auri mil-
liones vix dicam quinquaginta precio ex-
quare, nec à condita urbe Amstelodamo
tantum Hollandiam diluvium afflixisse.
Hæc de aquarum exundationibus.

Anno
1650.
&
1651.

XVII. Furti insignia duo habemus exempla: unum, quo Cardinali Trivulzio, insulæ Sardiniaæ Proregi, Calaride, quæ est provinciæ totius metropolis, per tres ex famulitio aulico, natione Belgas, ablata sunt triginta Pistolettarum millia, & jo- calia octogies mille Coronatorum, quæ omnia in arca quadam cum multis magni momenti literis asservabantur: alterum, dum Daniaæ Regis Legatus, Christianus Ranzovius, mille quingentorum Ducato- rum jacturam passus est, furtivis manibus ex hospitio ablatorum, die Solis 2. 12. Febr. Viennæ in Austria. Literis illinc ad nos die 26. Januarij exportatis transcribitur, Sempronii in Hungaria fœminam quan- dam partum edidisse, capita duo, pedem autem unum duntaxat habentem. Garstiaæ quoque, duobus post Cremsum milliari- bus sylvæ adjacente villa, matrem filium enixam esse, Diabolo in omnibus similem.

XIIX. Die 20. Januarii sub noctem, Varsovia Polonorum in arce Regia, & qui- dem in Principis recens natæ cubiculo (ex incuria cuiusdam adsestricis, quæ ad tabu- lam quandam peripeta(mate) costratam, cereum ardentem in pariete ligneo reli- querat:) vehemens ignis accensus est, qui non solum tabulatum illud & tapetem, sed

sed & eadem vehementia diversa quædam Anno
 conclavia incendio corripuit, unde filia 1650.
 Regis recens nata cunis, quas ignis jam &
 allamberat, ægrè eripi potuit. Ferunt, Gy-1651.
 næceum Regium repentino hoc incendio
 insignia damna contraxisse, & cum exorto
 malo, illi restinguendo aqua sufficiens ad
 manus non fuerit, cerevisia ex regia allata
 cella vicem huius sustinente, non spernen-
 dam rerum Reginae mobilium supellecti-
 lem inter favillas & cineres abiisse.

Tum quoque Berolini, quod est in Mar-
 chionatu Brandenburgico, fœmina quæ-
 dam habitu lugubri coloris candidi induta
 vulgò *die Weiße Frau* appellata, (spe-
 ctrum ajant esse, quod paucis diebus antè
 sui conspiciendi copiam faciat, quàm ex E-
 lectorali Domo Brandenb. quisquam ad
 immortalitatè evocandus est, & nunquam
 non certum aliquem tumulo brevi in-
 ferendum denunciaret:) crebrius observata,
 imò interdum etiam circa Electoralem se-
 pulturam, ad altare atque in aliis Arcis locis
 oberrare visa, id quod locum incolentibus
 metum non inanem incussisse perhibent,
 eoque graviolem, quod unicum Princi-
 pis Electoris hæredem ante annum fati-
 concessisse, nec Septemviri Conjugem ad-
 huc imprægnatam novissent. Et tantum

*Spectrum
 Berlinæ
 visum.*

Anno **1650.** etiam de Casibus Tragicis scripsisse suf-
ficiat.

& **1651.** Mense Quintili apud Suecos Regis Lu-
sitaniæ Legatus quidam extraordinarius,
Appendix nomine *Iosephus de Tinto perera*, vir honesta
ad res Sue- canitie spectabilis, & prægravis authorita-
cicas. tis, quem pluribus annis in Indiis Orienta-
Lusitaniæ libus magni thesaurarii provinciam susti-
Regis Le- nuisse accepimus, portum Dalerhaven fe-
gatus qui- liciter subintravit, duodequadraginta fa-
dam pecu- mulorū satellitio stipatus, Hominem hunc
liaris Sto- Regia Suecorū Majestas, per certos Depu-
cholmiam tatos triremib, quibusdam regis Stochol-
salutat. miam magnificè deduci fecit, cui deinceps
ad insignia Porcelli (*sum Sercken:*) diver-
sorium cessit.

Audien- Delato Stocholmiam antedicto Nun-
dus ad Re- tio, id quod 28. eiusdem accidit, penè ea-
ginam ad- dem hora Ludovicus quoque Guilielmus
mittitur. Lusatiæ Princeps, qui per plures annos in
Hollandia commoratus, Mauritiæ, Princi-
pis Auriaci, jam olim mortalitate exempti
sororem, matrimonii fœdere sibi junxe-
rat, una cum filio, Domino Emanuele, pe-
destri itinere ex Dania accurrit, et si neuter
de alterius proposito quidquam cognitum
haberet,

Ut igitur audiretur, quarta sextilis per
regni Consiliarium, Dn. *Benedictum Skytte*, &
Cere-

ceremoniarum Magistrum, in conspe- Anno
ctum Reginae magnifico complurium rhe- 1650,
darum comitatu adductus est, ex hospicio &
progressus, in quo adhuc usq; diem sum- 1651,
ptibus Reginae vixerat. Capita Commisso-
rum lingua Lusitanorum vernacula expli-
cuit, eademque per quendam e Societate
Lojolitana Gallicè reddita Reginae propo-
ni mandavit: ad qua Regia Majestas ipsa,
Suecorum lingua usa, congruè respondit,
responsum autem per quendam interpre-
tem reddidit, etsi in omni hoc actu non ni-
si Curialia acta perhibeantur. Præterea tria
diversa diplomata Legatus obtulit, quo-
rum unum Regis Lusitaniae, alterum Re-
ginae, tertium autem horum filii erat: qua
verò reliqua attineant, ea proximè in Pro-
positione, quam literis exhibiturus esset, se
aperturum enunciavit.

Interim Stockholmiæ adventus Celsis-
simi Principis Palatini, Caroli Gustavi, mi-
litia Regia summi Moderatoris, summo-
perè desiderabatur, magnusque subinde
ad Coronationem regiam apparatus factus.
Qui cum deinceps 28. Septembr hora cir-
citer quinta pomeridiana, magna qua Du-
cum bellicorum, qua aliorum Officialium
comitante caterva ex itinere restitutus es-
set, splendido admodum quinquaginta

*Carolus
Gustavus
Comes Pa-
latinus, in
Sueciam
reversus,
splendide
excipitur.*

Anno
1650.
&
1651.

curruum sejugum, tum etiam 250. Nobilium aulicorum amplissimo comitatu, intra moenia deductus fuit. Ex civitate quidem nemo in armis, prohibente Palatino, comparuit, at tamen in foro, cui nomen est *Süder. Markt* / duodecim cohortes militum plena armatura venientem Principem exceperunt, ac demum, ubi quævis ordine per stationes collocata tormenta fulminalia duplicem fragorem ediderant, geminata bombardarum dispositione eundem honorarunt.

*Incessus
solennis
ad Coro-
nationem
Reginae.*

Ad decimam sept. Octobris, ex valle Divi Jacobi, uno sesquimilliaro à Stocholmia, in arcem regiam introitus celebratus, sequenti observato ordine.

Pompam comitatumve ordiebatur quidam Caduceator argenteo scepro, subsequentibus à tergo tympano-tribus tympanis castrensibus argenteis, & tubicinibus quatuor, quorum singulis singulae erant argenteae tubae. II. Proximus ab his erat Generosus Comes, Dominus Carolus Löwenhaupt, militum tribunus, cum una equitum cataphractorum legione. III. Secutæ sunt cohortes quatuor pedestres, ex prætorianis Reginae; quorum ordinem clausit Polonus quidam, nivei coloris equo Turcico eoque generoso invehctus, arcuq; barba;

barbarico terribilis. **IV.** His succedebant Anno
regni equilonis, seu stabuli Præfecti parip- 1650
pi. **V.** Tùm equi gentium maiorum bel- &
li Ducum, quos vulgò hodie Generales 1651
appellant, aliorumque Procerum belli-
corum & Officialium, quibus in equitum
auratorum domo locus non est. **VI.** Por-
rò equi Nobilium extraneorum, putà Po-
meranorum, Bremensium, atq; ex aliis lo-
cis advectorum. Seriem **VII.** implebant
Livonum diœceseos Oselianæ & Ehestæ
equi. **VIII.** Nobilium Suecorum & Finno-
num, qui Capita familiarum non præsen-
tant, idque pro cuiusvis dignitate in ante-
dicta Equitum auratorum domo. **IX.** No-
bilibium Suecorum Finnonumque equi, qui
Capita familiarum præsentant, & quidem
pro ut cuiusvis ordo & dignitas hoc mere-
ri videbantur. **X.** Dominorum Consilia-
riorum regni manuarii equi. **XI.** Celsis-
simi Principis Ducis Adolphi equi. **XII.**
Dominorum Legatorum equi. **XIII.** Re-
giæ suæ Celsitudinis, Ducis Caroli Gusta-
vi, equi, quem tympana duo castrensia ex
argento, & tubicines sex, eiusdem metal-
li tubas gerentes, antecesserunt. **XIV.** Re-
giæ Majestatis castrensia tympana duo ar-
gentea, & buccinatores duodecim. **XV.**
Marescallus quidam. **XVI.** equifones vi-

Anno 1650. Stabuli regii Praefectus, cum viginti quatuor stabulariis. XIX. Ordinem continuabat, Equisonis regni pilentum. XX. Dein regni Procerum carpenta. XXI. Post hæc Nobilium vacuæ rhedæ. XXII. Mox Caduceator quidam. XXIII. Tympanotribæ duo, cum adjunctis tubicinibus. XXIV. Horum vestigia premebat, Marefcallus aulae, quem ponè exceperunt Regiæ suæ Majestatis aulici digniores, itemq; Regiæ suæ Celsitudinis, Principis Palatini, Caroli Gastavi, satellitium aulicum ex Nobilitate, Officiales & volones cæteri, cum reliquo aulicorum famulitionobili. XXV. Seriem proximam constituebant, Nobiles extranei, putà qui ex Pomerania, Episcopatu Bremensi, & Rugia provincia venerant. XXVI. Partympanorum, quibus sex buccinatos accinebant. XXVII. Nobilium Oseliæ & Livoniæ Ordo, quibus suus cuiusque Marefcallus præibat, quorum seriem claudebant Cōsiliarii provinciarū XXVIII. Proximè aderant Nobiles ex Esthonia provincia, Duce Marefcallo, sequentibus vèrò provinciæ illius Cōsiliariis. XXIX. Caduceatores seu Feciales duo. XXX. Partympanorum æneorum Regiæ Majestatis, & æneatores octo. XXXI. Hos secuti quidam

dam Mareſcallus Provincialis, cum omni Anno
 Nobilitate & Equeſtris dignitatis ordine, 1650.
 putà qui Capita familiarum ſunt, & in ſu- &
 præ dicta Equitum Domo locum habent, 1651.
 numero circiter cētum ſexaginta in equis.
 XXXII. His ſubjecta Conſiliariorum re-
 gni pilenta, numero viginti ſex. XXXIII.
 mox Celiſſimi Principis, Ducis Adolphi,
 vehicula. XXXIV. Dein Legatorum di-
 verſorum rhedæ. XXXV. Quibus ſucceſ-
 ſit Regiæ ſuæ Celiſitudinis, Ducis Caroli
 Guſtavi penſilis currus, quem ab utroque
 latere ſtipabant ſatellites duodecim, ac to-
 tidem Principi à pedibus. XXXVI. Tum
 Generoſus Comes Magnus, ceu ſatellitii
 Regiæ Ephorus, cui bipenniferi 24. ade-
 rant, XXXVII. Archippocomus regni,
 equo veſtus. XXXVIII. Jam verò RE-
 GIA SUA MAJESTAS, ſejugæ in-
 ſidens, juxta quam ad utrumque latus in-
 ceſſerunt Nobiles triginta cum bipenni-
 bus. XXXIX. Proxima à Regina erat
 Ducis Adolphi Celiſtudo. XL. Huius ve-
 rò veſtigia preſſere Regiæ ſuæ Majestatis
 Cubicularii, XLI. Hos exceperunt re-
 gii ephœbi, Cubiculo deſtinati, terni & ter-
 ni. XLII. Officiarius quidam, cum 24.
 qui bipennibus armati incedebant. XLIII.
 Regiæ vacuum carpentum. XLIV. E-

G s

juſdem

Anno
1650.
&
1651.

jusdem Gynæceum, sex pilentis vectum. XLV. Muliduodecim, & Cameli sex, regia impedimenta gestantes. XLVI. Cohortes quædam pedestres ex Uplandica legione. XLVII. Turmæ quatuor equitum Uplandicorum: quorum denique omnium ordinem XLIX. populus civitasve clausit.

XLIX. Ubi autem jam ad Regiam ventum erat, miles, qui in procinctu adstitit, sclopetis bombardisque in favorem Reginæ bis exonerare auditus; quorum fragori, nongenti circiter ictus tormentarii, quos machinæ quæ in terrâ qua navibus dispositæ edebant, murmure non ingrato tertia vice adstrepnerunt, ita ut omnis hic ictus & pompa, à tertia pomeridiana usque ad nonam noctis perduraverit.

L. In superiori Portæ Triumphalis parte, quam Domini Senatores regni ex ædificari fecerant, & quæ universo Comitatu supra descripto transeundum erat, ab utroque latere legere erat eiusmodi epigraphen, literis majoribus cuiusvis obvivo facile legibilibus, inauratisque exscriptam:

*Arvus
Triumphalis
Reginæ
coronandæ
in honore
positus.*

*Christine, Gustavi Magni Filia, Principi
Optima, animi magnitudine, Pietate, Pru-
dentia, Clementiaque, & cæteris regnandi
artibus, supra sexus & ætatis sue captum infi-*

gni

gni, atque ipso Fortune sua fastigio maiori; Anno
 cum tractatis aliquot annis feliciter regni; 1650.
 habenis; propugnata Religione; Germania &
 liberata; conservatis Sociis; pulsis hostibus; 1651.
 fundata quiete, multumq; aucta Patria glo-
 ria & cultu, atque edito sic egregio regendi
 specimine, Coronationis solennia iugenti popu-
 li applausu & gratulatione celebraret, Senato-
 res Regni officii quoque sui memores, arcum
 hunc sinceræ voluntatis promptæque obedien-
 tiæ signum, communis lætitiæ, grati animi, atq;
 intimæ venerationis monumentum, Majestati
 eius devotissimi, & fausta quæque apprecantes
 dedicarunt.

Dein quoque, quicquid præliorum du-
 rante toto hoc bello Germanico, quæ terra
 quæ mari accidit, non invenusto artificio
 videre erat, atq; ex eodẽ hoc honoris arcu,
 quævis apud devictos obtenta signa atque
 vexilla, tam equestria quàm pedestria, ex-
 pōsita adspiciebantur, Musicorum cōcen-
 tu, apud regiam hanc pompam, spectato-
 rum quorumvis aures non inluaviter affi-
 ciente.

Ad diem Solis 20. 30. Octob. pompa si- *Processus*
 ve processus ad actum regie coronationis, *ad Coro-*
 & quidem ex regia Stocholmiensi in Basi- *nationis*
 licam maiorem propè arcem, sequentem *actū, plus*
 in modum institurus est: *quàm re-*

Primogius.

Anno 1650. & 1651. Primo ordine incedebant Feciales duo paludamentis sericis cærulei coloris induti, quibus tam anteriori quam posteriori sui parte insignia regia Phrygio opere ex auro atque argento appicta erant; quorum uterque sceptrum argenteum manu tenebat.

II. Post hos, quidam æneorum tympanorum pulsator, & tubicines duodecim, regie tesserae habitu exornati, palliis luteo-sericis limbisque aureis undiq; ea circumdantibus, quorū baltei omni sui parte acupicti, auro radiare videbantur: Fasciæ equestres ex rapheto nigro erant, fimbriis aureis, tubæ item & tympana argentea.

III. Aulae quidam Marescallus, sceptrum argenteum manu gestans,

IV. Septuaginta septem series, trium personarum singulae, quæ ex aulicis nobilioribus præsentium Legatorum, Nobilibus item & Minorum Senatorum ministris dignioribus constituebantur.

V. Marescalli duo cum scipionibus argenteis.

VI. Duodesexaginta series trium personarum, ex Livoniae, Oseliæ, Ingermanlandiæ, Verdensi, Bremensi, Pomerana atque VVismariensi Nobilitate, provinciarum Senatoribus, cæterisque Legatis,

VII. Fe-

Anno

1650.

&

1651.

VII. Feciales duo
 IX. Tympanotriba castrensis unus,
 & tubicines duodecim, omnes, ad eundem
 modum ut priores, vestiti.

X. Equestris Ordinis Marescallus,
 cum argenteo baculo.

XI. Sueci Generosi, quæ Capita Fami-
 liarum sunt, septuaginta septem ordinibus
 trium personarum distincti.

XII. Marescalli duo.

XIII. Domini Senatores regni, singuli
 duo in singulis ordinibus, qui ante hortum
 regiae objectum, suum quisque pilentum
 conscenderunt.

XIV. Proximi ab his erant, Senatores
 regni, qui munia regia obeunt, & Regalia
 regni gestarunt, unus post alterum: quo-
 rum primus regni thesaurarius, *Clavem*;
 Cancellarius, *Pomum*; Præfectus classis,
Sceptrum; Marescallus, *Gladium*; Dapifer
 autem *Coronam*, præ se ferebant. Hi o-
 mnes in antedicto horto Regiae suæ Ma-
 jestatis currus duos sejuges occuparunt,
 quorum unus, cui atrii coloris sejuges ad-
 juncti, holoserico viridi obductus erat, la-
 ciniis argenteis maioribus in circuitu ejus;
 alter autem holoserico nigro, intextis flo-
 ribus auro atq; argento radiantibus, splen-
 debat, tractus ab equis sex candidis.

XIV. Jam

Anno
1650.
&
1651.

XIV. Jam verò Regia sua Majestas incedere visa, nivei coloris habitu Damasceno seu scutulato induta, sub uranisco cadurcove, quod utriusque militum Tribuni, Krusius & Kurquius, cum duobus aliis Magnatibus, portarunt: simulque ut in hortum arcis venit, curru illo pensili, quo eius Majestatem Celsitudo sua Regia, Dux Carolus Gustavus, donaverat, se vehi fecit. Erat currus hic ex holoserico rubro, omni sui parte, quâ intus quâ extus armis ex filis aureis argenteisque omnivariis acupictis exornatus, ad quem trahendû, equi sex albi, jubeis è collo ad terram usque dependentibus, atque phaleris tegumentisve in modum currus acupictis, solumque attingentibus, juncti ibant.

XV. Ad dextram Regiæ suæ Majestatis incedebant, stabuli regii Præfectus, à læva autem armorum regni Magister.

XVI. Similiter utrumque currus latus stipabant sexaginta ex nobili prosapia orti satellites, bipennibus conspicui, habitu Regiæ tesslerario ex lutei coloris holoserico, cum insignibus regiis, quæ tam in anteriori quàm etiam posteriori chlamydam parte auro atque argento picta cerne-re erat; hos autem Regiæ suæ Majestatis celeres à pedibus, & spiculatores cæteri secuti sunt.

XVII.

XVII. In ordine hoc videre erat Ura- Anno
niscum antea nominatum, quem supra di- 1650.
sti quatuor proceres sustinebant. &

XIIX. Post hos apparuit Generosus 1651.
Comes Magnus de la Garde, vexillum re-
gium manu gestans.

XIX. Mox quidam equorum, qui ve-
hendæ Reginae destinati sunt, nivei candō-
ris, ephippio sexui fœminino commodo
instructus, ex cuius utroque latere nobile
quoddã peristroma Phrygio opere elabo-
ratum dependebat. Equus argenteas habe-
bat soleas, in omnibus verò quatuor pedi-
bus armillis atque brachialibus mirabilis
erat.

XX. Seriem sequentē extendit Celsiss.
Princeps, Dux Adolphus, qui in equo sub-
limis habitum regium gestabat. Palla hæc
erat ex holoserico coloris janthini seu vio-
lacei, insertis undique coronis aureis acu-
pictis, & quam interjectæ pelles pretiosio-
res albi coloris, partim etiam nigri non in-
venustam reddebant.

XXI. Sequebantur, qui Regiæ suæ
Majestati à Cubiculis sunt.

XXII. Mox ephebi regii, quos Galli
sua lingua *pages* & *laquais* appellant.

XXIII. Item, quidam Marefcallus,
argenteum manu scipionem gestans.

XXIV.

Anno 1650. **XXIV.** Et denique Regiæ suæ Celsitudinis, Ducis Caroli Gustavi, ministri & Officiales cæteri.

1651. **XXV.** Jam verò novum quasi agmen adducere visus est, Celsissimus Princeps, Dux Carolus Gustavus, qui lutei coloris quodam equo vectus, quem Regia sua Majestas paucis diebus ante ipsi præsentari fecerat, nullos non spectatorum oculos in se convertit. Habitus, quo superbiebat, regius erat, tunica putà longa violacei coloris holoserica, flammis aureis ac uictis radians, & pellibus cuiusmodi suprâ scriptissimus, ammoluta. Consimilis quoque pretii pileus fuit, quem aurea Corona ab exteriori sui parte mirificè radians circumibat.

XXVI. Regiæ suæ Celsitudinis Cubicularii, qui habitum gestabant.

XXVII. Eiusdem ephēbi celeres, cursoresve à pedibus, & reliquum satellitum ab utroque latere.

XXVIII. Duo Marescalli.

XXIX. Series duodecim, & in harum singulis singulæ tres personæ, nobili familia ortæ.

XXX. Palatini Senioris, & Landgravii Friderici Celsitudines, in equis conspicuæ.

VXXX

XXXI.

XXXI. GUSTAVI ADOLPHI, Anno
REGIS SUECORUM MAGNI, 1650.

relicta vidua, MARIA ELEONORA, &
carpento vecta holoserico violaceo obdu- 1651.
cto, filisque auro argentoque quaqua par-
te coruscantibus venusto, quod ab equis
sex atris movebatur.

XXXII. Majestatis Regiæ cæteri cur-
tus pensiles.

XXXIII. Comitum Magni de la Gar-
de Coniux, cum viragine quadam è Prin-
cipum Sulzbacensium domo orta, una
eademque rheda vectæ.

XXXIV. Iterum Marescalli duo.

XXXV. Vehicula pensilia viginti sex,
Gynæceum vehentia, & undecim pimenta
vacua.

XXXVI. In arcis area conspiciendum
se præbebat Generosus Dominus Comes
Ludovicus Lövenhaupt, cum cataphra-
storum equitum una legione.

XXXVII. His aderant cohortes qua-
tuor è satellitio regio.

XXXVIII. Civitas armata.

XXXIX. Munitionem montis Nor-
dermaln communiebant tormenta bellica
maiora viginti quatuor, præter illa, quæ in
cæteris locis disposita stabant.

XLI. Arcem in flumine circumdabant

H

navis

Anno 1650. & 1651. navigia bellica quadraginta, machinis suis fulminalibus tormentisque egregiè instructa.

XL I. In fori area bos integer, & quidem vario ferinæ genere repletus, ababatur.

XL II. Tandemque haut procul isthinc, super theatro quodam lignea effigie Ceres picta apparebat, lecythum dextrâ tenens, ex quo, & statuæ illius mammillis, per integrum biduum vinū rubrum magna copia profluxit: quam festivitatem Legati quoque Brandenburgici, & Regis Lusitanie, tantò reddiderunt solenniorem, quod & ipsi uberem vini copiam, populo accurrenti hauriendam, elargirentur.

Et talis quidè pompa etiam fuit, cum ex arce regia ad templum iretur: testat, ut Mercurius ceremonias quoque describat, quas durante Coronationis actu inter sacra observavit, id quod in subsequenti narratione vitatis ambagibus fideliter se præstiturum promittit.

Ceremonia in templo, & durante Coronationis actu, observata. Regia sua Majestas simul ac ad templi fores provectora fuit, quod aulae & pretii exquisiti peristromatis magnificè contemum erat, relicto pilento suo, sub cadurronationis cum supra pluries nominatum se contulit, cui illicò Reverend. Dominus Archiepiscopus

scopus (corniculum aureum, ex quo Re- Anno
 gina oleo sacro inungi debebat, dextra te- 1650.
 nens:) cum omni clero obviam processit. &
 Inverso deinde ordine, Sacerdotalis hæc 1651.
 caterva Majestatem suam in templum, &
 quidem ante aram (à cuius circiter decem
 passuum digressu subsellium pro Regina
 positum stabat:) deduxit, super qua Se-
 natores regni Regalia pulvinaribus holo-
 sericis composuere, ibidemque Dux Adol-
 phus habitum regium reliquit, & tùm hy-
 mnus, VENI SANCTE SPIRITUS,
 decantatus.

Hac exacta solennitate, quidam ex Epi-
 scopis Orationem pro rostris habuit; qua
 itidem finita, cùm deinceps Litanix hy-
 mnus harmonico concentu intonuisset,
 protinus Regia sua Majestas ad altare ac-
 cessum fecit, à quo non ita procul sellam
 omni sui parte argenteam, cernere erat, in
 terra autem pulvinar, cum tabella ante il-
 lud extracta. Provolutâ deinde Regina in
 genua super dicto pulvino, mox Archiepi-
 scopus Ducis Adolphi Celsitudini, & regni
 Dapifero vestem regiam tradidit, qui eadẽ
 Regiam suam Majestatem induerunt. Quo
 factò, nominatus Presbyter biblia aperta
 ante Reginam, in tabella adstante compo-
 suit; super qua cùm Regina brachio inni-

H a

teretur,

Anno

1650.

&

1651.

teretur, levatis in altum digitis duobus Juramentum, quod regni Cancellarius prælegerat, & certos aliquot articulos continebat, repetitis alta voce verbis recitavit: quod cum itidem præstitisset, simul in argentea illa sella, quæ pone adstabat, se dimisit. Ad hæc Archipræsul, prævia quadam; quam legit, precatiuncula, in rem præsentem apta, sumpta dein balsami lacratæ parte, Majestatem Regiam in fronte, pectore & ambabus manibus crucis signo notavit; simulque his cæremoniis aliam certam oratiunculam adinurmuravit; qua finita, Eidem primò sceptrum, mox pomū; dein clavem, ac denique gladium porrexit, quæ omnia sua Majestas Dominis Senatoribus, qui hæc antea gestaverant, scepro excepto, quod manu dextra prehensum tenuit, & pomū, quod læva sustinuit, decorè restituit.

*Singulæ
ria, post
Corona-
tionem
observata.*

Quibus omnibus dicta ratione peractis; denique Archiepiscopus nudo Regiæ suæ Majestatis capiti diadema coronamve imponit, & simul ad displodendas machinas signum datum, quarum fragori, harmonicis Musicorum symphonicorumq; concentus non insuaviter adsonuit. Subid autem Regia sua Majestas in subsellio aliquandiu permanfit, cum interea octo majorum

jorum gentium belli Duces seu Generales, Anno
 putà *Generosus Wittenbergius*, regni Sueciæ 1650.
 armorum Præfectus: *bellicosus Königsmarc-* &
cus, Pro-Campi-Marscallus: *fortissimus* 1651.
Steinboccus, ex Generalium ordine: *Ma-*
gnanimus Duglassus, Locumtenens Gene-
 ralis: *animosus Paykublius*, vigilum supre-
 mus Præfectus, & eiusdem cum hoc con-
 ditionis *pugnacissimus Hammersteinus*,
 duoque alii Suecicæ nationis Magnates,
 de quorum nominib^s necdum nobis con-
 stat, cadurcum auro atque argento mirifi-
 cè elaboratū adportarent, sub q̄ progressa
 Regina, comitantū pompam in theatrum
 usq; suggestui vicinum securæ est, ibidemq;
 idem sedile argenteū sedendo occupavit.
 Post hæc Regia sua Celsitudo, per quen-
 dam ex Fecialium ordine, ad præstandum
 juramentum regno debitum, provocata:
 quæ cum coram Reginae Majestate in ge-
 nua provolveretur, Cancellarius eidem Ju-
 ramenti formalia prælegit, & tūm porre-
 cta Reginae manu, mox ad lævam ejusdem
 se stitit.

Provocatis autem per eundem Fecialem
 ante solium regiū & regni Senatoribus, ju-
 ramenti præstandi ergò, mox regni Dapifer
 atq; Marscallus priores, genibus flexis ad-
 fuerunt, juramenti lectionē ex regni Can-

H 3

cellario

Anno
1650.
&
1651.

118

Mercurii Gallobelgici

cellario intelligentes. Proximi in genibus comparebant, ipse Cancellarius, & unà, cujus fidelitati thesaurus regni commissus est, quibus Juramentum Consultissimus Salvius, Reginae à Consiliis prælegendo intima-
vit. Hoc acto, è Senatorum regni ordine sex in genua se dimiserunt, & protinus cæteri omnes simul, idem facientes, juramento, per Dominum Cancellarium denuo recitato, fidelitatem sedulitatemq; in obeundis regni munerib. polliciti sunt. Quilibet autem horum, simul ac juramenti scedere se obstrinxit, Regiam suam Maiestatem prius, dein etiam Principis Proregis Celsitudinem, manuum porrectione honorarunt. Antequam verò omnis hic actus concluderetur, denuò certus quidam hymnus concinebatur, tandemq; per Archipræsulem benedictio abeuntib. impertita.

Inter domum eundem, idem cum priori ordo observatus est, hac saltè parte non nihil variatus, quòd Regia sua Maiestas, conscendo triumphali quodam curru, caput diademate insignita, regioque ornata habitu, sceptrum atque pomum manibus gestans, superbè invehatur. Currum trahabant equi candoris nivei, soleis argento solido cufis. Per compita ac plateas, qua pompa transibat, certa numismata, ut in ejusmodi actibus fieri amat, in populum largiùs

largius projecta, & iter juxta viam regiam, Anno
per forū ferrarium, ac certam quandā por- 1650.
tam triumphalem, quam Civitas extrui fe- &
cerat, per pontem ad arcem usq; cōtinua- 1651,
tum est, in cuius aditu cives, milites stipen-
diarii, cum adjuncto equitatu, in armis
adstiterunt.

Quidquid deinde diei reliquum, festi-
va & triumphali tormentorum machina-
rumq; fulminalium, quæ in vallis, aggeri-
bus, navibus bellicis, pontibus quoque,
montibus & locis cæteris expositæ stabant,
dispositione exactum est. Status atque Or-
dines regni quicumque cum Regina hila-
riter epulabantur & convivabantur: in fo-
ro majori, quod suprâ etiam innui, bos in-
solitæ magnitudinis assatus, ferina omni-
varia ditatus, atque per integrum triduum
vinum quâ album quâ rubrum populo flu-
xit, tanto quidem hominum accursu &
confluxu, ut quibusdam composito-
ribus non absque damno cessisse, alios
verò vitæ etiam jacturam passos esse, fama
loquatur.

Secundo post Coronationis actum die, *Spektacu-*
ignes artificiales, magno constantes, defla-
grarunt: tertio, Ordines regni quatuor, lo-
co certo, qui ab horto arcis (vulgò auff
dem Burggarten:) denominatur, homa-
gium

Anno
1650.
&
1651.

gium publicè præstiterunt. Quarto, Regia sua Cels. Carolus Gustavus Princeps Palatinus actum exhibuit, in quo primum representabatur Bellum sub persona Martis, & complurium priscorum Romanorum, ad morem antiquum superbè vestitorum: deinde Amor, sub persona Veneris, cui certus Nympharum ordo aderat, curru vectæ, quem artificis manus ita effinxerat, ut nulla externa operâ accedente ex se ipso ageretur. Ex alio ordine spectare erat Felicitatem, putà Pacem & animi Tranquillitatem, sub personis aliquot Dearum in quodam triumphali curru sumptuosæ structuræ, cui equi quatuor albi sub forma monocerotum adjuncti erant; quod iucundissimum spectaculum, mox aliud non in elegantius excepit, Apollo cum novenis Musis, in monte quodam artificiali motu proprio progrediente, quorum suavissimus concentus, quandiu ad annulum decursus est, auditorum spectatorumque & oculos & aures mirificè recreavit.

Quinto die Excellentissimus Wittebergius, pyrobolarium spectaculum, in cuius constructionem auri vim non parvam profudisse fertur, exhibuit, in Castelli arcisve forma: proximi autem aliquot dies (propterea quod repræsentationes, & ludi Circenses,

censes, partim ob continuum pluviarum Anno
 defluxum, partim etiam ob operum im- 1650.
 perfectionem, ad actum deduci non pos- &
 sent:) leonum urforumque venationibus 1651.
 cesserunt.

Ad diem Sabbati IV. Nonas Novem-
 bris cælo admodum sudo, Generosissimi
 Comitis Magni de la Garde nomine actus
 quidam exhibebatur, in quo spectare lice-
 bat quadraginta & amplius præstrenuos vi-
 ros, amictu Amazonum muliebri indutos,
 quorum muneris erat, pro foeminei sexus
 dignitate atque existimatione armis de-
 certare.

Inventionem spectaculi, à Generoso
 Domino Comite Lœvvenhaupt exhibiti,
 constituit quidam Rex Athiopum, cuius
 omnis comitatus more Athiopico vestitus
 incedebat: aderant verò etiam aliquot E-
 lephantes, artificiosissime facti, cum ratio-
 ribus quibusdam ex Africa. Ludi autem fi-
 nis hic erat, ut adversus quosvis ex eque-
 stri ordine præsentis, vario ludorum gene-
 re decertaretur, atque in hunc modum
 cuiusque virtus & fortitudo tentaretur.

Miræ quoque voluptatis id fuit, quod
 stabuli regii Præfectus exhibuit spectacu-
 lum: conspiciebantur enim in hoc diversi
 Magnates, sub personis celeberrimorum a-
 pud

H s pud

Anno
1650.
&
1651.

pu^d priscos Romanos Heroum, quorum quisque illam virtutem, cuius in vita maximè cultor erat, sub umbra seu figura feminae secum duxit; cum inventionibus aliis visu spectatuque dignis. Cui & hoc addendum est, quòd ad quemvis horum actuum, Apollo & novem Musæ, Parnasso, qui artificiosè promovebatur, & omni vice variabat, insidentes comparuerint, & durantibus hisce ludis, inter tympanorum tubarumque strepitum, continuâ eâq; suavissimâ Musicâ triumpharint.

Longum verò foret, singulas solenni^{ssimi} huius actus circumstantias ceremoniasque ex ordine annotare; proinde, cùm temporis & chartæ angustia, vela hic contrahere nos moneat, dictis de hac re acquiescere visum est, & breviter adhuc attexere, quisnam Comitiorum horum exitus fuerit; quod dum facere Mercurius noster aggreditur, rem sine dolo enarraturum se pollicetur.

Quod itaque huius dietæ finem, & quæ in illa decreta sunt, attinet, exitus eius in IIX. Idus Nov. anni 1650. incidit, conclusique articuli, eiusve Recessus typis exscriptus publicè prostat, undè ineptum duximus, Constitutionum illarum recensione, angustos per se libelli huius limites

trans-

transgredi. Quandoquidem autem, pro Anno
tenore articuli octavi, (eò quod Regia sua 1650.
Majestas, in cœlibatu se omni vita sua per- &
mansuram, apud Status invitè hoc audi- 1651.
entes, professa fuerat) Illustrissimi Ducis,
Caroli Gustavi, Palatini Rheni, &c. Cel-
situdine, militiae Regiæ per Germaniam nu-
per summus Imperator, & quicumque le-
gitimi eius hæredes masculi, regni Sueciæ
Principum hæreditariorum juribus donati
sunt; quapropter antè nominatus Prin-
ceps, & suo, & si qui futuri sunt, hæredum
masculorum nomine, collato in hunc mo-
dum à Regia sua Majestate, & regni Magna-
tibus, hæreditario & successionis Jure, se-
quentes Anti-Reversales extradidit, quæ
deinceps præfato Recessui de capite ad ca-
put illatæ sunt: harum verò argumentum
hoc est:

NOS CAROLVS GUSTAVVS, Anti-Re-
per Dei gratiam Suecorum, Gothorum & versales
Vandalorum Princeps electus hereditarius, Caroli
Palatinus ad Rhenum; Bavaria, Juliaci, Gustavi,
Clivie ac Montium Dux; Comes Veldentia, Suecorum,
Spanhemii, Marchia & Ravensburgi; Domi- &c. Prin-
nus in Ravenstein, &c. cipis here-

Tenore sequentium notum facimus, Cum ditarij elo-
Potentissima Sorensissimaq; Princeps ac Domi- sti.
na, Domina **CHRISTINA**, per gratiam

Dei

Anno
1650.
&
1651.

Dei Suecorum, Gothorum Vandalorumq; Regina; Magna Finlandia Princeps; Esilandie, Carelia, Brema, Vebreda, Stetini, Pomeranie, Cassubiorum ac Vandalorum Dux; Princeps Rugia; Domina Ingermanlandie ac VVismarie, &c. unanimi Regni Suecia Senatorum Ordinumq; consensu, Nos, & quosvis futuros nostros heredes masculos (quotquot horum per Divinam benedictionem suscipi licebit:) summo illo favore, honore atque affectu prosequi voluerit, ut vi certi cuiusdam Decreti Comitiorum Generalium, in regni Suecia Principem hereditarium, electi atque proclamati simus, idq; ad legem & rationem, qua in Conventione hereditaria desuper conscripta, & Recessui huic inserta, exprimitur; ex ea causa, ut Regia sue Majestati, nec non regni Senatus Ordinibusq; de nunquam intermoritura nostra gratitudine, & optima animi propensione intentione ve tanto melius constare possit, vigore sequentis Capitulationis utrisque cavere voluimus:

Et primo quidem, ac ante omnia, Regia sue Majestati, pro quovis regio favore ac benevolentia, qua nos ab incunabulis ad presens usq; tempus, in primis vero apud hunc actum prosecuta est, demisse gratias agimus, apprecantes à Deo Ter Opt. Max. Regie eius Majestati, vitam diuturniorem, rectam corporis dispositionem

nem

nem seu sanitatem, felicem regiminis statum, Anno
 atq; in omnibus prosperum rerum succes- 1650.
 sum: sanctèq; pollicemur, Regiam suam Ma- &
 jestatem nullo non tempore veram nostram 1651.
 Reginam nos agnituos habiturosq; præstando
 Eidem omnem benevolentiam, fidelitatem &
 fortitudinem, cum decenti humilitate atque
 obedientiam omnibus, quæ coram Deo ac ho-
 minibus præstari æquum est, ita ut Regia sue
 Maiestati imperare integrum, nobis autem
 obsequi, par esto, quandiu supremo Numini
 Regiam suam Maiestatem, & nos superstites
 præstare visum fuerit.

I I. Quoad Regia sua Maiestatis regi-
 men, & quæ ad illud pertinent, quemadmo-
 dum Maiestas sua nobis spondit, hac in re
 nullis nos Commissionibus contra voluntatem
 & commoditatem nostram oneratum iri; ita
 nec nos, quoad Regia Maiestas inter vivos &
 in regimine fuerit, quidquam, in quo regni sa-
 lus vertitur, quippe bellum, pacem, fœdera, aut
 id genus alia magni momenti, statumq; Impe-
 rij concernentia moliemur, pertractabimus,
 aut cõcludi patiemur, nisi id fiat ex Regia Ma-
 jestatis præscitu ac voluntate, regniq; Senatus
 consilio, & ex instructione plenaque Regine
 potestate.

II I. Deinde, cum Regia sua Maiestas,
 atque unà Senatus regni, consilium fore
 duxerint;

Anno 1650. & 1651. duxerint, regnum post exitum horum Comitiorum omnino non dividi, verum sub eodem Rege, unū idemq; corpus esse ac manere; quapropter nec nos, nec haeredes ex nobis descendentes ullo posthac tempore quidquam terrarum hereditarium appetemus; quin potius, promissione à Regia Maiestate, & regni Proceribus nobis facta, fore, ut non solum nobis de pertinenti statu ac sustentatione, sed etiam in omnem eventum, futura nostra Coniugi atq; haeredibus, filiis filiabusque respectivè, de nuptu, alimentis & sponsalitiis largitate, prout illud Principe dignum, & regno commodum fuerit, rectè provideatur, in ea dispositione acquiescemus, quam Regia sua Majestas suavis Senatorum regni propterea à parte constituet.

IV. Quod si etiam unum alterumve praedium seu fundus cum Iurisdictione, quaque ad fieri ratione possit, vel in nostram, vel haeredum nostrorum legitimorum possessionem venire contingat; nullo illud illumve alio iure seu privilegio interim possidebimus, quam quo Nobilium Ordo gaudet ac fruatur, quidquid in eiusmodi occasionibus fieri amat, fideliter prestando: reservata nobis ea sola Iurisdictione in aula nostra famulitium, qualem & praedefuncti Principes haereditarii in suos exercere soliti fuerunt.

V. Quod

V. Quòd si casus ferat, ut vel post mortem Anno
Regia sua Majestatis (quam supremum Num- 1650.
men longissimè avertat:) una aut altera pro- &
vincia vel dynastia extra regnum nobis offe- 1651.
ratur, nullo illà illasve alio modo accipiemus,
nisi sub hac conditione, ut cum aula nostra in
Suecia habitare, integrum nobis relinquatur.

VI. Quòd si etiam, temporis successu,
Divina sua Bonitati visum fuerit, Conjugium
iniri, non nisi communicato prius consilio cum
Regia sua Maiestate, & regni Senatu, hoc fa-
ciemus, nullum matrimonium contracturi,
unde vel sua Majestati, vel regno, aliquid de-
brimenti emergere possit: quo in passu ultra
pollicemur, nos, nec velle, nec debere Coniu-
gem ducere, erronea hereticave religionis as-
sectam, vel que alii, quàm invariata Confes-
sioni Augustana addicta sit, nulla ratione per-
mittentes, ut vel filii, vel nepotes nostri, si Nu-
minis Clementia habuuri simus, in religione
alia educantur.

VII. Quòd si DEVS tandem nos super-
stites prestat, dum Divino adiutis favore, pro
Constitutione & Dispositione à Regia sua Ma-
jestate, regnique Ordinibus in hisce Comitibus
facta, ad clavum Imperii sedere nobis liceat,
nullo illum modo alio tenere aut regere volu-
mus vel debemus, quàm Senatui regni vi-
sum fuerit, legesque fundamentales & Im-
perii

Anno 1650. & 1651. perii Suecici Constitutiones hoc fieri exigunt.

VIII. Similiter, ad illum eventum, transferemus atq; conservabimus omnes Regni Ordines, imò statum atq; subditorum quemvis in specie, in puro & claro Dei verbo, prout illud in scriptis Prophetis atq; Apostolicis traditum extat, & in invariata Confessione Augustana, Concilioq; Upsaliensi, fusius explicatum reperitur.

IX. Ad eundem modum illos conservandum iri dicimus, & quidem omnes ac singulos eorum, in iudicio, iustitia, & in cuiusq; pretiosè acquisita libertate, iuribus ac privilegiis, ita ut nec pauperum nec divitum cuiusquam corpori, membris, fama, bonis, iuribus, aut quibusvis, que ad illos iure perinere possunt, noceamus, nec per alios noceri permittamus: via tamen iuris ubique salva.

X. Regiæ suæ Maiestatis Dominam Mariam, Reginam Viduam, **MARIAM ELEONORAM**, omni tempore quo vis dilectionis atq; honoris affectu prosequemur, tandemque in omni debito respectu ac cultu, nec non quibusvis beneficiis ac iuribus, Maiestatis suæ à Regina nostra clementissima concessis, integram prestabimus.

XI. In summa, quidquid in Gustavi Regis testamento, & Pactis gentilitiis, in salutem regni

regni à Principibus hereditariis requiritur, Anno
 (illo tamen excepto, quod in anni huius Comi- 1651.
 tiorum Recessu immutatum) quidquid etiã
 prædefuncti Reges Sueciæ, ut iuramenti &
 cautionis data, vel facere vel omittere tene-
 bantur, illud omne exactissimè observabimus,
 faciemus vel omittemus.

XII. Imò ad quacunque nos, vigore ha-
 rum Reversalium obligavimus, eadem etiam
 quilibet heredum nostrorum legitimorum pa-
 riratione, non minus atque nos ipsi, adimple-
 re, prestare vel omittere tenentur.

In quorum certam maioremq; fidem, hæc o-
 mnia præmissa ita consensu nostro pertractata
 atq; compromissa esse, nosq; iisdem candidè, &
 quidè ut à Principe fieri æquum est, staturos es-
 se; eapropter hæc Reversales manu propria
 subscripsimus, nostrog; consueto sigillo robo-
 ravimus. Id quod datum atq; actum est Sto-
 cholmiæ, 20. Octobris, Anno 1650.

Die antedicta Novembris sexta præ-
 memoratus Comitiorum regni Recessus
 Stocholmiæ in augustissimo Procerum
 consessu consuetis solennibus publica-
 tus, atque à regni Senatore, Domino Ba-
 rone Benedicto Skytte, publicè legendo
 recitatus est, cum prius Excellentissimus
 regni Sueciæ Cancellarius, brevem sermo-
 nem, tempori & occasioni accommoda-

Anno
1650.
&
1651.

tum, habuisset: quo peracto negotio, post
stridiè Regia sua Maiestas quosvis regni
Magnates exquisitissimo epulo denuò ad-
hibuit, actum demùm cuilibet ad suos re-
vertendi facultatem clementissimè indul-
sit. Hæc verò de rebus apud Suecos ge-
stis dixisse, hac vice fate esto.

*Sed CHRISTINA, Tibi REGINA
quid apprecer, author*

*Talia qui scribo? quæ Tibi vota canam?
Vtere felici sceptro! diadematis usus
Nestoreos faciat Te numerare dies!
Sit status Imperij tranquillus! floreat alma
Sub te Pax! vigeat Iustitiæq; Decus!
Sic Regina Tuum nomen laudesq; ma-
nebunt,
Donec erunt homines, donec & Orbis erit.*

*Mazari-
nius regno
Galliarum
excedere
inbetur &
cogitur.*

Verùm ad te, Candide Lector, suam
convertit orationem Mercurius noster,
per officiosè insinuans, nihil gratius obve-
nire sibi potuisse, quàm de reb. quibusdam
narratu dignis, quæ in Gallia potissimum,
& passim in orbe acciderunt, maximè ta-
men de Mazarinii Cardinalis ex universo
regno Galliarum proscriptione, ut & de
trium captivorum Principum libertate,
prolixius tecum colloqui: sed cum & tem-
pore & loco jam omninò excludatur, quo
minus

minus ex voto rem narrare possit, paucis Anno
saltem historiam stringet, summam dictu- 1650.
rus, quod diffusa narratione recitare po- &
tuisset. 1651.

Dux Aurelianensis, & cum ipso Parla-
menti Senatus, cum Parisiis ab aliquot die-
bus antedicti Dn. Cardinalis Mazarinii e
regno propulsionem vehementer urissent
decretoque sanxissent, ut cum quibusvis
suis famulis spatio quindecim dierum sub
vitæ discrimine regno excederet, nec un-
quam in illud reverteretur, sexta demum
Februarii sub intempestam noctem, fur-
tim, & vestitum mentitus Parisiis profugit,
atque sub præsidio ducentorum equitum,
quos extra in hanc rem ordinaverat, versus
San-Germain, & porro in Normandiam
festinavit.

Post adventum Cardinalis in *Pont de l'
Arche*, simul ac Eminentia sua exploratū
habuit, Nobilium plebejorumque ma-
jorem partem Normandiæ inferioris, nec
non ex provincia *Caux*, eo fine campos
occupasse, ut ipsam ab itinere *Dieppam* ex-
cludant, ad Portum *Gratiæ*, vulgo *Havre
de Grace* (quo Sabb. 16. 26. Novembris,
Duce *Harcourtio* Comite, sub præsidio 800.
equitum, peditum autem 1200. ex arce
Marcouffy, Principes captivi deducti fue-
rant:)

Anno
1651.
&
1651.

rant) festinavit, quem etiam ad diem Lunæ 13. 3 Febr. ante quam Commissarii regii, Dnn. *de la Rochefaucault, la Grilleries, Viole & Arnau*, assecutus fuit; quibus modo nominatis Dominis Commissariis, à Rege & Duce Aurelianensi mandatum erat, præfatos Principes in libertatem restituere.

*Principes
captivos
invisit in
Portu
Gratia.*

Mazarinius, intellecta Principum præsentia, continuo illos invisit, idque præsentem Grammontio Marefcallo, quem tamen Condæum vultu & oculis minus serenis excepisse perhibent; etsi Cardinalis præter morem se humiliatis, Duci clanculum insinuaret, nõ se huius captivitatis authorem existere, quin potius illos, quibus mandatum Regis incumbat, ipsos in pristina libertatis statum adserere; quæ res eo profuit, ut eorum liberatio dimidio die citius fuerit promota; siquidem 13. Februar. iam illinc profecti, sex miliaribus à Portu Gratiæ pernoctarunt, sequente die Rhotomagi, 15. Burdegalæ *de Vigny*, substitierant, & demum 16. Lutetiã Parisiarum assecuti sunt. Hos excepturus, Dux Aurelianensis in planitiem usque prope Sancto-Dionysii theda provectus est, ubi cum Principes lætitiæ conceptæ manifesta signa edidissent, ibidem in antedicti Ducis carpento confederunt,

sederunt, atque in eodem familiariter col- Anno
 locuti, palatium regium petierunt, putà sa- 1650.
 lutatum Regias suas Maiestates, à quibus &
 proinde vultu perquam hilari excepti nun- 1651.
 ciantur. Hoc facto, cum deinceps regiam
 clementiam gratias agendo deprædica-
 sent, seq; in perpetua fidelitate perman-
 ros promississent, Aurelianensis demùm
 Principes restitutos ad cœnam, in palatio
 suo sumendam, invitavit; insecuta autem
 17. Febr. ipsemet in Parlamenti Senatum
 introduxit, cui itidem, ob navatam ope-
 ram in liberandis ipsis, gratias egerunt, sa-
 lutaribus eius consiliis nunquam se repu-
 gnaturos compolliciti. Tum verò Parla-
 mentum petiit, ut Senatus regius edita De-
 claratione caveret, ne quisquam extraneo-
 rum in posterum ad obeunda ministeria
 regia admittatur. De qua Declaratione,
 forsitan in sequenti libro tertio plura (si vi-
 sum superis ita fuerit;) perscribenda oc-
 current.

In hac proxima narratione exprimemus, *Clarorum*
 quinam Principis dignitatis, aliique clari *aliquot*
 viri foeminaeque, ab excessu nundinarum *virorum*
 autumnalium anni 1650. usque ad verna- *foemina-*
 les anni 1651. passim in orbe, fatis concess- *rumq;*
 ferint: quam narrationem candidus le- *obitus.*
 ctor cum libri antecedentis primi paginis

Anno
1650.
&
1651.

128. 119. 130. & 131. pertinenter con-
nectet.

I. Horum verò in ordine antesigna-
num agit, Coronæ Poloniæ Magnus Can-
cellarius Osolinskyus, qui Varsoviæ catar-
rho quodam suffocativo extinctus est, 9.
Augusti die, cum per undecim annos, ma-
gna sui laude, & optima Regis satisfactio-
ne, provinciam illam sustinisset.

II. Apud Mediolanenses, anno ætatis
56. moritur, S. R. E. Cardinalis Montius,
Mediolanensium p. t. Archi-Episcopus.

III. Onspaci, ad diem Sabb. 24. Au-
gust. vet. styl. Celsissimi Principis Alberti
Marchionis Brandenburgensis Coniux,
Henriette Louyse, ex illustrissima Ducum
Württembergicorum prolapia oriunda.

IV. Reverendiss. atque Serenissimus
Archiepiscopus Coloniensis, Ferdinandus,
Princeps Elector, Dux Bavarix, &c. in arce
sua Arnsberga, quò exiguo tempore antè
Bonnâ discesserat, 3. 13. 3. Septembr. ubi
jam integris undequadrageinta annis Archi-
episcopatus laudabiliter præfuisse.

V. Elisabetha, Angliæ Princeps, Re-
gis Caroli Primi Magnæ Britannix, &c.
nuper Londini innocentissimè secure per-
cussa, filia; quæ ex contracto pilæ lusu ni-
mio calore, repentino imbri madida, mox
in fe-

in febrem inciderat, ex qua circiter 14. Anno diebus decubuit, die Solis 8. 18. Septemb. 1650. in insula Vecta. &

VI. Marescallus de Ranzou, quondam Dunkerkanorum in Flandria Gubernator, annum ætatis agens quadragesimum, Mercurii 4. 14. Septembris, Lutetia Parisiorum. 1651.

XII. Dux Angulemensis, Caroli Noni, Francia & Navarra Regis Filius naturalis, anno ætatis duodenonagesimo, ibid, 27. eiusdem.

IX. Decima Octobris Dresda, Ducis quondam Pomeranorum vidua defunctæ corpus emortuum, Stetino illuc devectum, præsentibus Serenissimo Duce Saxon, Principe Electore, eius Coniuge, & cæteris magni nominis aulicis, aliisque in Diva Sophia Basilica consuetis solennibus tumulo illatum est.

IX. Ad diem Sabbati 2. 12. Novemb, Chastillonii moriebatur, Principum Condæ & Contii, fratrum Germanorum mater, quæ conditis testamenti tabulis millionem unum pauperibus, & certis quibusdam monasteriis distribuendum; item aulae suæ ministris famulisque plus 100000. libras, Ducissæ autem Longevillanæ 300. librarum millia legavit.

I 4 X. Re-

Anno
1650.
&
1651.

X. Reverendissimus Princeps ac Dominus Episcopus Jaurinensis, Viennæ in Austria, Lunæ 7. Novembr. cuius cadaver illinc Jaurinum ad sepulturam exportatum est.

XI Celsissimus Princeps ac Dominus, Dn. Guilielmus, Princeps Aurasienfis, Solis 6. Nov. nov. styl. hora vespers nona, Hagæ-Comitis, quem supra sex menses, annum ætatis vigesimum quartum agentem, morbillorum malitia extinxit.

XII. Dominus Comes d' Avaux, Regis Galliarum Christianissimi nuper ad General. Pacis tractatus Monaster. Plenipotentarius, 18. Nov. Parisiis.

XIII. Eodem die vitam cum morte commutavit, Dn. Petrus à Weimbs, Eques, Regi Hispanorum Catholico à consiliis secretioribus, eiusdemque in Ducatu Luxemburgensi Præses, cum Domus Burgundiacæ Plenipotentarius Legatus diversis Legationibus, Ratisponæ, Francofurti, Osnabrugis, Monasterii, atque alibi locorum, summa cum laude ac fideliter præfuisse.

XIV. Ac denique, Lunæ 13. Decembris hora circiter 7. matutina, Francofurti ad Mœnum, Dn. Johannes à Schonheim, Electoris Coloniensis ad Conventum Statuum

uum Circuli Rhenani, in antedicta urbe Anno
 institutum, Legatus, cum paulò antè in iti- 1650.
 nere fracturam in crure passus esset, & va- &
 letudini pristinae restituendus aliquo 1651.
 tempore in proximo urbi vico Bornheim
 decubisset, catarrho, quem vocant suffo-
 cativo extinctus, cuius cadaver 15. eiusdem
 frequenti pompa funebri in Patrum Car-
 melitarum monasterio tumulo inferri vi-
 dimus. Hæc de clarorum virorum obitu.

Admonitio ad Lectorem,

Atq; hæc ea sunt, Lector candide, quæ
 semestri hoc æstivo relatu digna censui-
 mus. Fruere his ad placitum, & errores, si
 qui me in scio irrepsere, facilis condona;
 nosti enim, quòd siquid in præjudicium u-
 nius vel alterius, in historicis hisce Relatio-
 nibus nostris scriptum fuerit, ad emen-
 dandum illud nos omni momento paratos
 esse, si saltem præmonstrato errore de rei
 momento moniti fuerimus.

Et quoniam hoc semestri, præter omnem
 operam nostram, quam hac vice adhibui-
 mus, nihil æris incisi ad manus nostras per-
 venit, quo tibi iure satisfacere debuisse-
 mus; ea propter authorem nostrum roga-
 vimus, ut in historiae præsentis continua-
 tione,

Anno
1650.
&
1651.

ratione consuetum foliorum numerum pla-
gulæ unius accessione adaugeret, persua-
sum omninò nobis habentes, vel hac ra-
tione benevoli lectoris desiderio, debito
autem nostro utcunque satisfactum iri: de
quo cum possumus esse certi, sponte polli-
cemur, nos in posterum omni studio in-
cubituros esse, ut candor & dexteritas no-
stra facilè cuivis probentur. Va-
le & fave.

F I N I S

LIBRI SECUNDI TOMI XXIIII.

**Authoris Relatio xxxiiii. Latine & Ger-
manicè conscripta.**

Re-



RERUM & VERBORUM,

Quæ in secundo hoc Tomi
XXIIX. libro leguntur & ex-
hibentur, Index.

A.

- A**dmonitio ad Lectorem, 137
Anglica, Scotica atque Hybernica ge-
sta, 75
Arcem Sancti-Theodori apud Candiota Ve-
neti recipiunt, 60
Argumentum literarum Archiducis ad
Ducem Aurelianensem, 34
Aurelianensis responsum, 35
Augustanis Evangelicis ad restauranda deie-
cta templa largè ubiq; contribuitur, 84
Augusti, Ducis Luneburg. filius, nuptias ce-
lebrat, Guelpherbyci, 84

B.

- B**aro Schmidius, Cesaris nomine legatio-
nem Constantinopolim suscipit, 11
Basileense territorium diversas tempestates
experitur, 90. 93
Belli inter Hispanos, Lotharingicos & Gallos,
in Gallia potissimum gesti, continuata
relatio, 29
Bohemica gesta, 17
Burdegalensium dissidium cum Rege Gallia-
rum componitur, 50
Regis in urbem Burdegalam introitus, 52

C. Cesarea

INDEX,

C.

- C**æsarea Maiestas, Ferdinandus tertius,
tertium matrimonium inicit, 14
- Carolus Gustav Com. Palatinus, in Sueciam
è Germania reversus, splendè excipitur, 101
- Casus tragici, & alia sinistra, 89
- Casus Tragicus Brunna in Moravia, 80
- Catalonica gesta, 55
- Ceream ex bombardis Vienna, 10
- China, regnum Orientis amplissimum, præ-
dicationem verbi divini admittit, 79
- Christianus & Mauritius Saxonie Duces,
matrimonium ineunt, 82
- Christianus Ranzovius, Holsatiae Praeses, le-
gationem apud Cæsarem obit, 12
- Christina, Suecorum, Gothorum, & Van-
dalarum Regina, &c. coronatur, Sto-
cholmia, 102. & seqq.
- Incessus solennis ad coronationem, ibid.
arcus triumphalis Regina coronanda in
honorem positus, 106
- Processus ad coronationis actum, plus
quam regius, 107
- Ceremonie in templo, & durante actu,
observatae, 114
- singularia post coronationem, 116
- Spectacula exhibita varia, 119
- Anti-Reversales Caroli Gustavi, Sueco-
rũ, &c. Principis electi hereditarij, 123
- Clarorũ aliquot viroꝝ seminariũq; obitus, 133
- D. Dal-

I N D E X.

D.

- D** Almaticorum gestorum status, 64
 Diata Francof. ad Mœnum scopus, 83
 Donkerum Hispanis deditioem facit, 43
 Dunkerka penn bellicū flammis corripitur, 93
 Dux Amalpheus, alias Piccolominius, Nori-
 berga discedit, 4
 Ratisponam appellit, 6
 Viennam consequitur, ibid
 Cæsaris auribus fruitur, 7
 liberaliter donatur, ibid.

E.

- E** Denburgi in Scotia, Palatium Regis de-
 flagrat, 93

F.

- F** Ferdinandi III. Rom. Imper. religiosa apud
 Pragenses monumenta, 81
 Ferdinandus, Bavaria Princeps Elector, A-
 delheidam, Sabaudia Ducissam, in ux-
 orem ducit, 82
 Flixiam, munitum in Catalonia Castellum,
 Hispani occupant, 59
 Furta duo insigniora, 98

G.

- G** Allorū exerc. in hiberna dimittitur, 50
 Guilielmi, Principis Auriaci vidua,
 filiū posthumū enitur, Haga. Comitiss, 83

H.

- H** Alberstadium incendio notabili deve-
 nustatur, 92
 Hobral

I N D E X.

<i>Hebraei à militib. damna patiuntur, Praga,</i>	81
<i>Helvetiorum Legati Vienna,</i>	17
<i>Hungarica gesta,</i>	20
<i>Hispani Retelia potiuntur,</i>	30
<i>Et Castello Porcinio,</i>	31
<i>sex legiones hostium fundunt,</i>	ibid.
<i>Hispanicorum castrorum status prope Fismes oppidum,</i>	41
<i>Hispani foeda clade à Gallis afficiuntur,</i>	46
<i>jactura Turrennianorū Hispanorumve,</i>	47
<i>Galli, quamnam hic stragem, quoad maiorum gentium Praefectos, passi sint,</i>	48
I.	
I <i>Nundatio Neapoli,</i>	93
I <i>uariis in locis horrendissima, 94. Et seqq.</i>	
<i>Iohannes Ludovicus Comes de Nassau, dignitate Principis Imperij donatur,</i>	13
<i>Italica gesta,</i>	53. Et 57.
L.	
L <i>Otharingicorum gestorum extensa relatio,</i>	38
<i>Ludovicus Sextus, Hassiae Landgravius, celebratis Gotorpii nuptiis, ad aulam Darmstadinam cum novella Coniuge redit,</i>	87
M.	
M <i>Azarinius regno Galliarum excedere iubetur, imò cogitur,</i>	130
<i>Principes captivos inuisit in Portu Graecis,</i>	132
	P. Polo-

I N D E X.

P.

- P** Olonica gesta, 67
 Porto Longanum munimentum Hispanie
 cedit, conditionibus expugnatum, 53
 Portugallia Regis Legatus quidam peculiaris
 Stocholmiam appellit, 100

R.

- R** Elatu quedam digniora apud aulam
 Caesaris, 7. & seqq.
 Retheliam Galli deditioe recipiunt, 45
 Hispanis frustra contra nitentibus, ibid.

S.

- S** Olestres Vienna observata in caelo, 94
 Spectrum Berolini visum, 99

T.

- T** Artarica Legatio apud Casarem tenuis
 & exigua, 8
 Tortosa, nobile apud Catalonienses oppidum,
 Gallis deditioe extorquetur, 56
 Tractatus executionis Pacis apud Noriber-
 genses successive expirant, 3
 Tremonia Evangelica falsa narratione im-
 ponitur, 86

V.

- V** Arsovia in arce regia incendium peri-
 culosum incuria suscitatur, 98
 Vellera aurea tria ex Hispania Viennam ap-
 portata, & pro quibus, 10
 Velleris aurei Equites creati Bruxellis, 43
 Veneto-

I N D E X.

<i>Venetorum bellum cum Turcis,</i>	80
<i>Venetorum strages ad Sittiam accepta,</i>	83
<i>eorum maritima gesta,</i>	66

W.

W <i>ürtembergici Legati apud Casarem,</i>	11
---	----

F I N I S

*Libri Secundi, Tomi Vigesimali
Octavi,*

*Relationis ab authore eodem
trigesimæ quartæ.*

Castell im Sincenner Wald, i. Meil von der Königl: Statt



W 5212

(26/28)

ULB Halle

3


007 103 360





101
27





Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



LO-BELGICE
THUSIO SUC-
TI,

M I N
ELGIO PO-
NIA QUOQUE,
ANIA, UNGARIA,
s Francofurtensibus au-
nundinas vernaes
n gestarum,
ARRATIONIS

I OCTAVE
NDVS.

LEDERO, Ratisponensi.

privilegio Speciali.



URTI,

mundi Latomi, Anno 1651.

5

